SPECIMEN ACADEMICUM:

CONTINENS

COMMENTATIONEM DE TOGRAII CARMINE,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

PRAESIDE PATRE

JOANNE HENRICO PAREAU,

LITTERARUM ORIENTALIUM PROFESSORE,

DIE XI. JUNII MDCCCXXIV.
HORA UNDECIMA,

AD PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONIT


AUCTOR

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU,
DAVENTRIENSIS,
Theol. Cand.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officina JOH. ALTHEER.



Quum ego me Religionis nostrae cognoscendae studiis dicarem, inde ab initio optimus monuit Pater, cum reliquis Orientalibus litteris incumbendum esse, tum vero etiam Arabicis: monitum autem paternum hac in re, uti in permultis, experientia ipsa comprobavit. Purissimum enim nostrae religionis fontem constituunt scripta Orientalia. Ad quae ergo ipsa si ab Orientalibus Arabum litteris accedamus, minus illa nobis peregrina erunt magisque veluti familiaria. Recentiorum etiam temporum opiniones facile in antiqua illa monumenta transferuntur interpretando, si sola Graecorum, Romanorum reliquarumque Europae gentium cognitione simus imbuti. Arabes contra si cognoverimus, longe certius Hebraeos intelligemus, Arabibus cum cognatione tum ingenio affines. Denique, ne alia addam, non Hebraeorum tantum, sed et Arabum scripta tractantes, multo facilius ad interiorem ingenii Orientalis cognitionem penetrabimus. Ipsa enim in sacro Codice legendo divinitatis existimatio impedire potest, quominus in humanam cogitandi sentiendique rationem, in eo conspicuam, nos plane insinuemus: quod tamen necesse est, si prorsus velimus illam religionis divinitatem persentire.

Haec

Haec monitus equidem in ipso jam aetatis tirocinio aliquantum usu sum expertus. Idem vero praeterea litteras Orientales per se jucundissimas esse intellexi gravissimasque. Habent illae utilitatem multiplicem in omni fere doctrinarum genere; habent vero etiam eam voluptatem, quam ego unam de maximis esse censeo, in humanae naturae uberiore cognitione positam. Nam cum verissime affirmarint philosophi, ad cognoscendum hominem non solam ejus maturitatem attendendam, sed inde a pueritia aetates singulas sedulo esse investigandas; non minore jure dicam, ad omnem gentis humanae ipsiusque hominis indolem perspiciendam plurimum conferre Orientis notitiam, in quo et generis nostri olim fuerunt incunabula, et ipsa quasi pueritiae vestigia diutissime manserunt impressa. Igitur hisce de causis, cum in humani ingenii indagatione, tum in religionis divinae studio sitis, magis ego magisque illa litterarum disciplina fui delectatus. Et vero propterea lubentius Patri carissimo obsecutus sum, suadenti, ut diligentius tractarem poëtae Arabis TOGRAJI *carmen, quippe et inter Arabes ipsos et inter Europaeos merito celebratissimum, atque hoc studiorum meorum in eo genere specimen publice darem.*

Quod ergo cum agere instituerem, praesto erant variae ejus carminis editiones versionesque; quas equidem, quatenus consulere licuit, breviter enumerabo: alias etiam commemorarunt Schnurrer in Bibliotheca Arabica, iterum edita Halae ad Salam, 1811. p. 185. sqq. *et Cl. Willmet,* Schets van den staat der Oostersche Litteratuur in Holland in de achtiende eeuw; Gedenkschr. van de derde kl. van het Koninkl. Nederl. Instit. II. p. 180, 181. — *Prima editio sine Scholiis aut interpretatione prodiit in libello cui titulus est:* Proverbia quaedam Alis, Imperatoris Muslimici et Carmen Tograi, poë-

poëtae Arabis doctiss., nec non Dissertatio quaedam Aben Sinae; Lugd. Bat. 1629. *Qui libellus, judicibus Schnurrero et Willmettio, est Golio auctori tribuendus. Deinde prodiit* Carmen Tograi, poëtae Arabis doctissimi, una cum versione Latina et notis, praxin illius exhibentibus, opera Eduardi Pocockii; Oxon. 1661. *In quo opere verba ipsa eruditissimis annotationibus illustrantur et cum dialecto Hebraica comparantur. Pocockii textum, versionem et annotationes nonnullas repetiit J. F. Hirtius, partim in* Institutionibus Arabicae linguae, Jen. 1770, *et plenius in* Anthologia Arabica, ibid. 1774., *et solas annotationes quasdam Wahlius in* Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Litteratur, Erste Lieferung; Cassel 1787. p. 59 sqq. *Ipsi vero hi nil magnopere novi addiderunt. Porro editum est* Poëma Tograi, cum versione Latina Jacobi Golii hactenus inedita, quam ex MSto Goliano, praefatione et notis quibusdam auctam, edidit Matthias Anchersen Traj. ad Rhen. 1707. *Qui liber rarissimus est, cum pleraque ejus exempla in mari per naufragium perierint; caeterum vero praeter ipsam Golii versionem et annotationes criticas, primam editionem cum Pocockiana comparantes, parum habet, quo se commendet. Postea editum est* Poëma Tograi, ex versione Latina Jacobi Golii, cum scholiis et notis: curante Henrico van der Sloot; Franeq. 1769. *In praefatione traduntur nonnullae de Tograji vita relationes, ex Ibn Chalicani libro de Viris Illustribus et ex Abulfedae Annalibus descriptae: versibus singulis praeter scholia Arabica subjiciuntur variae lectiones e codicibus manuscriptis petitae; in annotatione vero multa docte afferuntur ad carmen illustrandum, maxime ex Arabicis ejus interpretationibus hausta. Denique in opere:* Nufhut-ool-Yumun, an Arabic Miscellany of Com-

Compositions in prose and verse, selected or original by Shuekh Uhmud, Calcuttae A. 1811., *exstat etiam Carminis Arabicum exemplum, parvulis interdum adjectis annotationibus Arabicis. Cujus editionis aliqua utilitas est in genuinis carminis lectionibus constituendis. — Conversum autem recentioribus etiam Europae linguis est carmen. Et primum quidem Franco-gallice:* L'Elégie du Tograi, par P. Vattier, Paris 1660. *Deinde Germanice dedit Reiskius:* Tograi's sogenanntes Lammisches Gedichte; Dresd. 1756, *carminis versionem exhibens, in qua tamen versus* 42. *omissus est; versioni vero accedunt annotationes nonnullae illustrandi causa, praemissis etiam quibusdam de poësi Arabica observationibus. Denique Belgice in opere:* Verhandelingen, Redevoeringen en losse Geschriften door J. H. van der Palm; Amst. 1818. II. p. 53 sqq. *exstat* Verhandeling over de Arabische Poëzij; *ubi Vir Clarissimus, ea qua placere solet orationis venustate atque elegantia de poësi Arabica agens, Tograji carmen magna ex parte attulit.*

Ex his, quae breviter indicavi, intelligi poterit, quibusnam cum ad criticam exercendam, tum ad ipsum carmen interpretandum usus sim subsidiis. Intelligetur vero etiam, quale sit meae commentationis propositum. Neque enim hoc spectavi, ut in doctorum virorum gratiam nova quaedam et antea inaudita proferrem: quod quidem fateor meam facultatem longe fuisse superaturum. Sed doctorum virorum observationibus ipse usus, cum nobilissimi poëtae Arabis historiam carminisque ab eo compositi opportunitatem exponere, tum ipsius carminis dotes ad universam poëseos Arabicae speciem exigere, tum denique singulorum versuum pulcritudinem et universorum vinculum indicare studui; hoc unice consilio, ut et ego poëseos Arabicae indolem quodammodo perciperem, et

quam

quam inde jucunditatem utilitatemque cepissem, hanc cum meis communicarem Commilitonibus, qui in omni studiorum cursu et jucundissimi mihi fuerunt et utilissimi.

Opportune autem, ut hoc propositum exsequi possem, mihi succurrit Viri Clarissimi Hamakeri benevolentia. Nam cum in Tograji historia essent plurima dubia et incognita, ille cum observationibus suis communicandis, tum vero maxime exscribendis MStorum Arabicorum locis gravissimis, multa mihi perquam humaniter suppeditavit. Haec autem quantum lucis meae commentationi affuderint, quisque facile videbit, qui observaverit, quaecunque ex Lugduno-Batavis codicibus a me afferuntur, omnia huic Viro deberi. Me vero et beneficii utilitate et humanitate ipsa singulari Vir celeberrimus gratissimum erga se reddidit.

Caeterum vero si quid in scriptione mea est probabile, qualecunque demum est, id certe omne gratum refero praestantissimis, quos habere mihi contigit, Praeceptoribus. Hi enim non modo discendi materiam mihi praebuerunt egregiam, quod ipsum magnum aliquid esse judico; sed, quod longe etiam majus esse sentio, cum privatis admonitionibus, tum publica institutione, discendi cupiditatem inflammare, judicandi acuere facultatem, et pulcri, veri bonique amore me imbuere studuerunt. Quibus eximiis eorum erga me studiis etiamsi saepe non respondero equidem; plane autem respondere nunquam potero; ipsi tamen velim persuasissimum sibi habeant, optimos me Praeceptores veneraturum semper et amaturum.

In his vero ipsis Praeceptoribus primum locum tenet carissimus Pater. Hic, qui commentationis scribendae mihi auctor fuit, idem et omnem librorum supellectilem et suas annotationes ad ipsius carminis interpretationem uberrimas suppeditavit. Idem vero etiam

cum in toto hoc scribendi negotio, tum in universa litterarum Orientalium disciplina atque in omni omnino studiorum genere dux mihi exstitit optatissimus: imo a prima inde pueritia ingenium animumque paterna et sapientia et caritate informavit. Quid vero omnia enumerare conor? Uti alii homines magnis me beneficiis affecerunt singulis singuli, ita universa in me maxima beneficia Pater contulit, eaque paterno amore cumulavit. Quare huic praesertim sentio me nullo unquam modo dignas posse gratias aut agere aut etiam habere. Sed, quod possum, hunc ipsum libellum Patri dedico in publicum grati animi pietatisque testimonium.

COMMENTATIONIS ORDO.



PARS PRIOR.

DE TOGRAJO EJUSQUE CARMINE.

CAPUT PRIUS.

De Tograjo carminis auctore.

CAPUT ALTERUM.

De carminis dotibus ac virtutibus ad poëseos Arabicae indolem exigendis.

§. 3.

Pag. 8. annot. 3. lin. 1. pro *tres* lege *quatuor*
— 37. lin. 18. pro *uvarum* lege *pluviarum*
— 68. lin. 11. pro بانروراء lege بالزوراء

COMMENTATIONIS

PARS PRIOR

DE TOGRAJO EJUSQUE CARMINE.



CAPUT PRIUS

DE TOGRAJO CARMINIS AUCTORE.

§. I.

Exordium.

Saepe mihi mirum accidit, bonorum hominum calamitatibus contemplandis plurimos delectari. Nam in vitae communis sermonibus sapientum fortiumque virorum et optimorum fata adversa summo studio narrantur et audiuntur. Historiae praecipua quaedam commendatio proficiscitur a molestiarum spectaculo et difficultatum, quas superare vel perferre debuerunt qui aut patriae quisque suae aut genti toti humanae fuerunt emolumento. Bellorum vero tempestatibus objectos homines celebrant epica carmina. Tragoediae afflictos amicorum desiderio effingunt mortales, aut quovis in moerore jacentes. Atque in universa illa gravi poësi et lugubri, quae humanissimos quosque maxime oblectat, tam frequenter optimorum hominum pericula, vexationes, clades commemorantur, ut videatur summa quaedam ex ipsa horum infelicitate atque dolore nasci voluptas. Ast idem postea observavi, in heroicis carminibus quo plura quoque magis ardua impedimenta fingerentur superata, eo virtutem conspici magis admirabilem. In tragoediis vero amicitiae benevolentiam, pietatis caritatem, atque ardorem amoris ipsa vidi luctuosa hominum fortuna excitari, nutriri, inflammari. Et vero historiae me docuit memoria omnis, asperis molestisque fatis ad prudentiam acui ingenia;

 be-

benevolos generososque animos tum demum vigere, si lenire dolores hominum aut tollere mala possent; fortitudinis autem hoc veluti proprium quoddam munus esse, ut gravissimam aerumnarum molem vel sustineat, vel depellat. Quae cum intellexissem, mirari desii, tantam esse oblectationem in maximorum virorum spectandis calamitatibus, quippe quae plerumque fuerint virtutum humanarum theatra. Scilicet haec ipsa fortunae mala sunt, quae animi vires eliciunt, et tantum aliquando homini amorem virtutis tantamque ejus necessitatem afferunt, ut sine illa ne vitalis quidem vita ipsi videatur, illa autem sola munitus omnium malorum mortisque adeo metum abjiciat. Et vero in summis demum difficultatibus vim suam omnem ac splendorem virtus declarare potest: atque si quis in mediis rerum humanarum tempestatibus fluctibusque fulmina fortunae contemnens, serena semper constantique mente sesuaque omnia gubernet, tum demum invictam sese virtus et admirandam praebet, ac fere in humana natura divinam.

Haec equidem cum saepius animo volvissem, horum in me sensum cogitationemque excitavit et confirmavit Tograji, poëtae Arabis, diligens contemplatio. Fuit enim Tograjus nobili genere natus et in amplissimo collocatus dignitatis gradu, atque idem, animi ingeniique dotibus illustris, cum divitias sibi maximas, tum gloriam summam acquisivit. Qui vero in bonorum omnium abundantia vivere poterat beatissime et vixit perdiu, tandem et desiderio cruciatus amicorum et invidiis inimicorum laceratus et fortunae confectus injuriis, in senectute vixit miserrime. Atque in his afflictissimis rebus ille non perfectam quidem ostendit virtutem et omnibus numeris absolutam, quam neque fert humanae naturae imbecillitas, neque hominis Arabis indoles institutioque imperfecta; sed hanc molem, quam sentiebat esse gravissimam, tamen non moleste ferre visus est, imo vero tantam in carmine suo fortitudinem, tam et excelsos sensus et benevolos, tantamque declaravit animi altitudinem, quanta non ingenium modo ornet Arabicum, sed naturae humanae possit esse honori.

Tanta ergo virtute in peregrino homine neque absoluta, qua nos gaudemus, institutione uso delectatus sum mirifice. Accessit vero huic delectationi alia voluptas. Ita enim comparati sumus, ut etiamsi res quaedam indole sua sit praestantissima, tamen aliquid semper desideremus, nisi formae simul

prae-

praestantia sese commendet. Et uti animus bonus in pulcro corpore maxime diligitur, ita optimas quasque mentis cogitationes sermonis ornat pulcritudo. Tograjus autem indolem suam eximio quodam carmine exhibuit, et quae sentiret magnifice, eleganter exprimens, rerum bonitati consentientem adhibuit formae pulcritudinem.

Sed haec et virtutis oblectatio et poëtici sermonis commendatio ut rite percipiatur, Tograji indoles ad universam studiorum, sensuum morumque Arabicorum rationem judicanda, et carminis dotes ad universae poëseos Arabicae formam sunt exigendae. Etenim multa quidem sunt in hoc carmine, quae, quam primum legantur, unicuique placeant. Nec mirum. Quacumque enim in parte terrarum versetur homo, humanae naturae principia animo infixa habet, quae si humana ratione verbis exprimantur, ab omnibus intelligantur probenturque hominibus. At vel sic tamen uti unicuique homini, ita singulis maxime gentibus sua est ac propria sentiendi et sensa exprimendi ratio, quam si ex nostro ingenio aut moribus aestimemus nostris, judices merito censeamur iniqui. Quamobrem ad hoc regundum judicium necessario id agendum est, ut ne in universa Arabicae poëseos ratione peregrini simus aut hospites, utque mores ipsos et instituta Arabum cognoscamus, in iisque veluti habitemus, et ut omnino in eorum sensus, affectus ingeniumque totum ita nos insinuemus, ut quibus illi sint studiis et cupiditatibus, iisdem et nos ducamur tanquam nostris. Sic demum, quae vera est in judicando aequitas, ex sua quemque indole dijudicamus, et hac universe perspecta indole, tuto procedimus in peregrina ratione cum nostro ingenio nostrisque moribus comparanda.

Neque illud tamen ad Tograji carmen intelligendum aestimandumque sufficit, aut omnino illud judicium fieri ullo modo potest, nisi antea ipsius poëtae conditionem, fata vitamque omnem quanta possimus diligentia enarremus et, adhibita temporis quo vixit historia, explicemus. Nolo nunc dicere, quam suave sit celebrem aliquem virum ita contemplari, ut universo aetatis, qua floruit, theatro perspecto, hanc veluti praecipuam quamdam personam in illo agentem patientemque contempleris. Omitto etiam, quod, si quem virum aut amamus aut admiramur, lubenter omnia colligimus quae de eo dicta sunt scriptave, et hasce veluti carissimas reliquias asservamus diligenter, praesertim si ad illius laudem aliquid conferre possint. Sed quod maximum

est, Tograjus summam aliquam fortunae subiit conversionem, ex altissimo prosperitatis gradu in imam conjectus fortunae humilitatem. Cum igitur in hac rerum conversione animum ostenderit sibi constantem et in ipsa calamitate altissimum: non poterit profecto haec ejus indoles aestimari, nisi perspecta omni ejus vita. Cumque et ex hac ipsa rerum commutatione omnique fatorum complexu natum mihi quidem videatur eximium Tograji carmen, et ea ipsa indoles excelsa eodem hoc carmine exprimi: neque mea haec poterit sententia dijudicari, neque aut poëtae mens rite intelligi aut carminis vis probe sentiri, nisi quaecunque de ejus fatis relata sunt, studiose colligam, diligenter dijudicem, omnemque ejus historiam exponam dilucide.

In his igitur omnibus ita procedam, ut indicata Tograji aetate, stirpe et patria, primum doceam, quibusnam et ingenii meritis et rerum opportunitatibus ad summam adscenderit prosperitatem: deinde ostendam quomodo postea ad infimum fortunae statum pervenerit: unde porro efficiam, quale hinc et quomodo fluxerit carmen et qualem viri infelicissimi indolem animique conditionem spiret. Quibus peractis, tandem progredi licebit ad hujus carminis dotes poëticas et ad sensus affectionesque in illo conspicuas ex Arabum indole ingenioque dijudicandas.

§. 2.

Tograji aetas, patria, stirps, nomina.

Quum in magna Orientis parte languescerent et prope jacerent hominum ingenia, novam iis vitam vigoremque praebuit Islamismi ardor: unde belli primum, deinde pacis artes effloruerunt. Itaque Mohammedis successores Chaliphae plurimas cum in Africa, tum in Asia regiones sibi subjecerunt et hierarchico tenuerunt imperio, longe lateque victricem diffundentes gentem Arabicam. Et hic quidem novus gentium ardor initio artibus doctrinisque plurimum nocuit. Sed uti in Europa medio, quod appellatur, aevo bellis sacris ad finem perductis successit literarum instauratio; ita jam antea in Oriente, sedatis paulatim pro Mohammedis religione bellis, et sensim mitigatis ingeniis, idem ille animorum ardor alia eaque multo liberaliora appetens, optimisque, quae eum alerent, opportunitatibus usus, florentissimam produxit ar-

tium

tium literarumque Arabicarum aetatem. Interim vero civilibus in rebus sensim Chalipharum in Asia frangebatur potestas, atque de imperio contendebant inter se magnates (1). Quare quum Selgiucidarum familia, de Turcis prope mare Caspium oriunda, primum opem ferre, dein imperare coepisset, haec tantopere invaluit, ut Persiam, Indiam, omnem Asiam anteriorem ipsamque ad Jemenis usque fines Arabiam sibi subjiceret, ac Chaliphis adeo in rebus politicis non nisi inanem fere antiqui nominis relinqueret honorem (2). Quae tamen imperii commutatio literis non admodum nocuit. Feri enim agrestesque victores, ab Arabibus una cum religione literarum cultum suscipientes, Chalipharum in literis aeque ac religione confirmarunt auctoritatem.

Hac aetate floruit Tograjus, vir et literarum laude clarus et civilibus insignis muneribus. Natus est in nobilissima Persiae urbe Ispahane (3), anno Hegirae sive aerae Mohammedicae circiter 455 (4), id est aerae Christianae 1062. Nomen habuit *al Hosein* (5). Additis vero, pro more Arabum, filii et patris et avi nominibus, dicitur *abu Ismaël*, *al Hosein*, *ibn Ali*, *ibn Mohammed*, *ibn Abdal Samad* (6). Appellatur etiam *Ahmed ibn abu Ismaël*, *al Hosein*, *ibn Ali*, *al Ahmidi* (7); item, addito proavi cognomine, *abu Ismaël*, *ibn Ali*, *ibn Mohammed*, *ibn Abdal Samad Rasched - eddin.* (8) Quae levis nominum diversitas facile a minori historicorum diligentia potuit proficisci, aut etiam a variis nominibus, quae tribuuntur saepe illustribus in Arabia viris. Consentiunt in addendo cognomine *Mowaiied - dini* موید الدین i. e.

(1) Vid. d'Herbelot *Biblioth. Orient.* p. 542. b. et Abulfeda in Annal. Moslem. T. III. p. 460, 462, 464.

(2) Vid. Elmacini Hist. Saracenica. p. 267 sqq. et d'Herbelot l. l. voce *Selgiuki.* Conf. Gibbon, *the Hist. of the Decl. and Fall of the Roman Empire*, Vol. X. C. 57.

(3) De Ispahane vid. doct. Uylenbroekii Specim. Geogr. histor. part. ult. p. 8 et 101. praesertim vero Golius ad Alfergan. p. 214 - 218.

(4) Abulf. III. p. 416.

(5) الحسين; sic Ibn Chalican: Abulfeda vero الحسن *al Hosan* vel *al Hasan.*

(6) Sic Ibn Chalican. Vid. v. d. Sloot, in editione carminis Tograji, prol. p. 5. item Abulf. l. l. p. 416.

(7) Ita Hadji Chalpha in lexico Bibliographico voce لامية العجم.

(8) Sic d'Herbelot, voce *Thograi.*

i. e. *fidei* sive *religionis statore.* Accedunt denique a muneribus, quae gessit et de quibus postea dicemus, tria nomina *Cateb*, *Monschi* et tertium hoc *Tograï* (1), quod honoris causa consuetum ei nomen datum est. Erat autem Doiolita, id est, de gente *Abu Aswadi Doiolitae*, qui e primariis fuit sociis Mohammedis prophetae (2). Atque adeo Tograjus, quamvis in Persia natus, de nobilissima fuit gente Arabica.

In celeberrima ergo urbe Ispahane, et literis et civilibus rebus florenti, natus et, uti videtur, educatus, hac ipsa patriae urbis opportunitate et illa gentis suae nobilitate facilem ad honores civiles aditum habuit et ad omnem fortunae prosperitatem. Eodem autem pervenisse videtur ipsis ingenii dotibus maximisque in literas meritis.

§. 3.

Tograji in literas merita et inde profluens honos.

Faustam literis aetatem nactus est Tograjus florentemque iis artibus, quibus a juventute fuit deditus. Vigebat a longo jam tempore Corani studium, id vero est theologiae, jurisprudentiae et eloquentiae; quarum trium artium, quamvis minus fortasse nobis videantur cognatae, una haec Mohammedis circa religionem institutio mater apud Arabes exstitit. Vigebant praeterea astronomia, physica, medicina, quarum semina a Graecis, Persis aliisque sparsa diligenter excoluerunt Arabes, interpretandis etiam Arabica lingua cum Orientalium reliquorum, tum Graecorum scriptis. Ipsius adeo Aristotelis philosophia in Academias migraverat Arabicas. Maxime etiam chemia floruit, quae si, cum vano conjuncta auri fabricandi studio, complura protulit inania, habuit certe fructum uberrimum in plantarum totiusque naturae diligenti investigatione et cognitione. Verum primo quodam et praecipuo loco fuerat nominanda poësis, quae, dilectissima omni aevo Arabibus diutissimeque a permultis celebrata, nihil ex Graecorum consuetudine alieni aut peregrini contraxe-

(1) Abulf. l. l., Ibn Chalican l. l.
(2) Abulf. l. l. cf. annot. 301. ei loco adjecta.

traxerat, sed nativum servabat colorem Arabicum. Hac ergo artes florentissimam illustraverant Arabum aetatem, lucemque suam in illas gentes omnes diffuderant, quae sub Mohammedis successoribus et devictae fuerant et excultae ab Arabibus. Atque hujus ingentis orbis eruditi ipsa etiamnum Tograji aetate eo major vis fuit, quod uno veluti centro conjungebatur Bagdado, nobilissima sede Chalipharum. Quam quidem laetam rerum faciem si comparemus cum illis tenebris quae seculo IX, X et XI in Europa literas doctrinasque offuscarunt, eo magis hunc apud Arabes splendorem admirabimur, felicemque prae Roma Bagdadum et prae sacrorum in Europa antistitibus ac monachis eximios praedicabimus doctos viros Arabes Chaliphasque, et vero poësi delectabimur Tograji, quippe cujus aetate, quae in initium cadit expeditionum cruciatarum, nullum Europa poëtam protulerit, Arabi huic ullo modo comparandum (1).

Hujusmodi ergo aetatem sortitus Tograjus, multis in vario cum orationis tum argumenti genere inclaruit scriptis. Et primum quidem chemiae operam dedit (2), scripsitque de ea libros complures, quorum quatuor, uti probabile est, expressis titulis laudantur a bibliographo Arabe Hadji Chalpha (3), unus item a Leone Africano (4). Neque tantum huic arti studuit, quae praecipue ab Arabibus *ars magna* vocatur, sed et literas humaniores et artem historicam tractasse videtur. Leo certe Africanus ejus *Chronica Asiae* et *Chronica Imperatorum Persiae* enumerat. Herbelotus vero librum ejus nominat *de*

(1) De hac artium literarumque apud Arabes conditione vid. d'Herbelot p. 433. et locis ibi laud. Abulfeda passim innumeros memorat viros doctos. Conf. Gibbon, vol. X. C. 52. coll. C. 57. item *Traité du choix des études par M. l'Abbé Fleury*, laud. a Marigny, *histoire des Arabes*, praef. p. 37 sqq. Imprimis conf. cl. Willmetii oratio de Arabum meritis in literis medio aevo instaurandis, et ejusdem Orat. de pulcri sensu Arabum, p. 49.

(2) Abulf. III. p. 416.

(3) In lexico l. l. ubi etiam adduntur nonnulla de ratione, qua Tograjus aurum argentumque confecerit.

(4) In Fabricii Biblioth. Graec. XIII. p. 277; cf. Reiske in edit. Germ. carminis a Tograjo compositi, p. 23.

de puerorum educatione (1). Cui, si fides est Leoni Africano habenda (2), addendum est *Commentum reipubl. Platonis*, quod opus et quale intelligendum sit et num fuerit unquam, dubito. Praeterea *opera* ejus *rhetorica* et *epistolas*, quas idem Leo parum diligenter memorat. Verum omnium maxime laudanda est Tograji vis poëtica, quae si vel tanta non fuit, ut jamjam moriturus versus quosdam fuderit, quod Leo narrat; at fuit certe magna atque uberrima. Nonnulla ejus carmina minora vel partim vel integra nobis exhibent historici Arabes, qui de ipso scripserunt (3). Carminum vero ejus ديوان sive *collectionem* in unum volumen redegerunt ejus nepotes (4).

Et poëticae quidem facultatis quanta in Tograjo fuerit praestantia, cum ex ipsa lectione illustrissimi carminis, quod sumsi tractandum (5), tum etiam intelligi potest ex laudibus, quas hoc maxime carmine apud omnem nactus est posteritatem. Illud enim complures Arabes celebre esse dixerunt et multis notum (6). Hadji Chalpha autem multos dicit viros eximios et in literis principes huic carmini operam suam impendisse, idque compluribus illustrasse commentariis, et vero horum praecipuos enumerat describitque commentarios novem (7). Quid? quod primo Corani capiti in scholiis adjectum fuisse olim

(1) *Bibl. Orient.* p. 1027.

(2) Fabricii Bibl. Graec. l. l. Conf. Reiske l. l.

(3) Ibn Chalican versus Tograji tres exhibet, secundum codicem Schultensianum, nunc Palmianum; item duos a Tograjo, 57 annos nato, compositos de provecta sua aetate, quibus tertius interponitur in scriptis Sebt ibn al Djouzi. Hos mihi exhibuit V. C. Hamaker, alios etiam memorans apud posteriorem hunc scriptorem exhibitos, item obscuros quosdam versus in Ibn Chalicani codice, qui est in Lugd. Bat. bibliotheca n. 16.

(4) Hanc collectionem Reiske l. l. p. 23. ait se vidisse in Bibliotheca Lugd. Bat.; verum nulla ejus vestigia illic se reperisse mihi significavit harum rerum peritissimus Hamakerus.

(5) Hoc Tograji carmen omnium fuisse celeberrimum, patet ex Ibn Chalicano apud v. d. Sloot p. 6., Abulfeda l. l., Herbeloto l. l. et Leone Afric. l. l.

(6) Hoc testantur scriptores, quos modo commemoravi, quibus etiam accedit Hadji Chalpha l. l.

(7) In Lexico l. l.

olim narratur, eoque legendo pueri ad literas humaniores instituebantur (1). Quanta autem reliquorum Tograji scriptorum fuerit praestantia, quantaque omnino in hoc viro ingenii excellentia, satis docuit eadem posteritas, a qua ille elegans dictus est scriptione prosa et poësi (2), iisque aequales superans omnes (3).

Hae ergo ingenii dotes non poterant non summam Tograjo auctoritatem in imperio et honorem apud aequales conciliare. Etenim a quo tempore Chaliphatum tenuerat gens Abassidarum, imprimisque Haroun ille, Arraschid sive justus cognominatus, constanter Chaliphae summo literas habebant honore, earumque disciplinam sua auctoritate sustentabant et exhilarabant. Hi ergo quamvis Trograji aetate armis imperioque civili perparum valerent, tamen ut in religione ita in artium literarumque provincia et in eximia doctorum virorum societate principatum tenebant planeque regnabant. Etenim, ut hoc utar exemplo, quid magnificentius cogitari potest aut magis regium, quam innumera ex universo orbe Arabico consociata doctorum virorum cohors, publice ad salutandum Chalipham Moctadi procedens munificeque ab hoc fautore suo condecorata? Hic nimirum cum audivisset Bagdadum venturum esse doctissimum Vesirum Nezam - al - Mulk, permultos hujus in gratiam arcessiverat sapientes viros. Qua benevolentia permotus Nezamus, solenni pompa, comitantibus reliquis, ad Chaliphae palatium procedit. Hoc audito, Chalipha mittit per ministros equum pulcre ornatum, cui, dum ceteri pedibus irent, insideret Vesirus. Venitur in palatium. Mox stantibus coram Chalipha omnibus, in his mediis jubet Chalipha sedere Nezamum. Miscentur sermones. Et reliquis quidem multa afferuntur munera. Unus Nezamus veste splendida, quae principum in imperio virorum esse solebat, condecoratur, et vero longe etiam exquisitiori titulorum decore ornatur, Doctus quippe et Justus cognominatur, et, quo nomine soli antea gaudebant Chaliphae, provinciarum Musulmannicarum Praefectus (4). Ex hac re, quae in Tograji juventute acci-

(1) Vid. Leo Afric. l. l. p. 277 sq.
(2) Sunt verba Nuweirii, in Codice Lugd. Bat.
(3) Ibn Chalican apud v. d. Sloot p. 6. Conf. d'Herbelot. voce *Thograi*.
(4) d'Herbel. p. 543, 544. Conf. de Marigny l. l. IV. p. 157 sq. Ille Chaliphae lau-

cidit, intelligere licet, quantus a Chaliphis concessus fuerit viris eruditis honos et qua ratione tributus. Ipsi autem qui civilibus rebus praeerant Selgiucidae, negotiis quidem bellicis maxime occupabantur, atque in otio venatione ferarum delectabantur ferocitati bellorum vicina (1). Sed vel sic tamen iidem et literarum studio ipsi magis magisque tenebantur et viris literatis impense favebant (2). Imo ipse ille, quem laudavi, Nezamus Principis Selgiucidae fuit Vesirus, tantaque apud eum auctoritate valuit, ut res civiles paene solus administraret (3).

Hinc ergo intelligitur, potuisse facile Tograjum apud suae aetatis homines gloriam magnam nancisci egregiasque ad honores civiles adeundos opportunitates: quippe qui unus in paucis et pulcritudine scriptorum et ingenii excellentia emineret. Et vero ille cum reliquis suis operibus, tum libris maxime de chemia scriptis summas sibi et paene immensas comparavit opes, atque in Selgiucidarum aula omnium fere factus est ditissimus (4). Apud Caliphas autem magno eum in honore fuisse, uti facile ex temporum ratione efficias, ita hujus rei indicium quoddam historicum esse, suspicor equidem. Vidimus enim supra, solitos fuisse eo tempore Chaliphas solenni ritu honorifica viris doctis imponere nomina. Jam vero Tograjo pulcerrimum fuit cognomen *Mowaiied-dini* sive *religionis stator*. In quo cum ea sit significatio, quae a religionis Mohammedicae praeside unice oriri videatur, facile credas, uti antea Nezamum, ita hunc ipsum postea Tograjum eximio quodam et honorifico nomine a Chalipha fuisse condecoratum. Quicquid vero ea de re ſtatuas, hoc certe statuendum videtur, suis ipsum meritis et ad summam apud Selgiucidas existimationem pervenisse et per maximam vitae partem amplissima in imperio dignitate fuisse gravisum.

§. 4.

laudati nomen vocat *Radhi*, hic *Mostadi;* est autem *Moctadi Bemrallah*, vid. Abulf. III. p. 236. et conf. d'Herbel. p. 591.

(1) Abulf. p. 284. d'Herbel. p. 544.

(2) Abulf. p. 236, 238. Conf. de Marigny l. l. IV. p. 155 sq.

(3) d'Herbel. voce *Nezam-al-Mulk* et *Malekschah.* Conf. Gibbon Vol. X. C. 57.

(4) Hoc testantur Nuweirius l. l. et Leo Afric. l. l. p. 276.

§. 4.

Magnis ingenii dotibus ad fortunatissimam evectus est Tograjus rerum conditionem.

Quo tempore ad negotia civilia accessit Tograjus, tertius de Selgiucidarum gente, isque longe celeberrimus, regnabat Malekschahus, cui successerunt deinceps Barkiarokus, Mohammedes et Mahmudus (1). Hi saepe Isphane degebant, neque tamen constantem habebant imperii sedem (2), sed a Chaliphis, qui Bagdadi vivebant, solenni ritu initiati, *Sultanorum Bagdadicorum* titulo erant insignes (3). Floruerunt hi Sultani et regni amplitudine et imperii potestate, quamdiu vixit Tograjus: sed paulatim tamen eorum decrevit vigor; donec aliquamdiu post Tograji mortem Mahmudo in Sultanatu Bagdadico succederet Massudus, qui Selgjucidarum auctoritatem terminavit (4).

Itaque dum in summo erat vigore Selgiucidarum imperium, regnante Malekschaho, ad dignitatem civilem accessit Tograjus, et factus est *Cateb* الكاتب et *Monschi* المنشي, quae voces, *scriptorem* significantes, usurpari videntur de munere ejus qui Sultano erat *ab actis*. Maxime vero *Tograe* scribendae fuit praefectus (5). Quae طغرا *togra* genus quoddam est literarum, quo Principum nomina et tituli in ipsorum epistolis mandatisque scribi solent, pulcerrimum illud et multo conspicuum ornatu. Ejusmodi enim scriptionis ornamentis et hodieque eximie delectantur Orientales, neque raro ejus rei facultate principum virorum sibi conciliant favorem. Haec itaque res quantopere ei acciderit honorifica, facile suspicari ex eo licet, quod munus hoc in

(1) Abulf. l. l. p. 288, 348, 350, 390.

(2) Abulf. p. 292, 322, 432. d'Herbel. p. 185, 542, 563.

(3) *Histoire générale des Huns par M. Deguignes.* T. II. p. 197. d'Herbelot voce *Thogrulbeg.*

(4) Abulf. p. 518.

(5) Herbel. p. 654, 1027. Abulf. p. 416. Ibn Chalican apud v. d. Sloot l. l. p. 10, 11.

in tractandis gravissimis et saepe arcanis ac prope sanctis habitis Sultanorum mandatis scriptisque versatur, et ex ipso praeterea nomine intelligitur *Tograji*, quo plerumque appellatus est honoris causa.

Ad tantos ergo honores in imperio pervenit anno aetatis fere tricesimo; idque consecutus est ingenii facultate et doctrinae elegantia. Quod utrumque confici probabiliter potest ex historici cujusdam Arabis narratione (1). Refert enim hic, non diu ante Malekschahi mortem, quae A. 485. accidit, *Ismaëlem* quemdam *Ispahanensem* tograïco munere potitum esse, quod antea diutissime gesserat *Adibus* aliquis. Cum ergo constet, sub Malekschaho id ipsum munus gessisse poëtam nostrum, *Ismaël* ille non alius videtur intelligendus quam Tograjus hic noster, qui dicendus fuerat *abu Ismaël Ispahanensis*. Atque hic adeo cum dicatur eo jam tempore *alkiatib* sive *scriptoris Ispahanensis* (2) cognomine fuisse celebratus; hoc ipso dicto confirmatur id, quod ex rei natura temporumque ratione antea effecimus, ingenii laude, scriptis quibusdam aut libris editis acquisita, ad civilem dignitatem evectum esse Tograjum.

Quam autem solida laude acquisiverat dignitatem, hanc constanter tenuit (3). Utrum autem regnante Malekschahi successore Barkiaroko, ipsi huic Sultano fuerit minister, an fratri ejus Mohammedi, qui jam tum aliquam in regno potestatem habebat (4), incertum est. Hoc constat, regnante non diu postea, A. 498., Mohammede, Tograjum honorifico suo munere in Sultanica aula functum esse. Et hoc quidem tempore vir eximius usque ad aetatis annum fere 55. magna valuit auctoritate atque gloria. Qui enim per 20 fere annos continuos in excelso fuerat dignitatis gradu, qui insuper magnas sibi arte doctrinaque divitias comparaverat et hac ipsa fortunae prosperitate excitatus multa in vario doctrinarum genere scripta ediderat, qui denique ingenii fa-

(1) Apud d'Herbel. p. 654 sq. coll. p. 543.

(2) Hoc cognomine non videtur munus significari ejus qui esset *ab actis* Sultano; nam ab eodem historico alius quidam memoratur fuisse ab actis. Vid. d'Herbel. p. 654 sq.

(3) Abulf. l. l.

(4) Abulf. p. 322.

facultatibus parem habebat animi praestantiam suavitatemque et morum facilitatem (1); non mirandum profecto hunc a suis dilectum et celebratum fuisse in praecipuis et imperii et doctrinarum sedibus, et vero eundem a Selgiucidis maximi aestimatum et in summis imperii negotiis fuisse adhibitum. Neque vero etiam mirandum est, tantum virum tamque fortunatum nonnullos expertum esse invidos obtrectatores adversariosque, qui cum illius praestantiam neque facultate nec mente aut cogitatione assequi possent, excelsi animi virum ad fortunae certe humilitatem vilitatemque detrudere conarentur (2).

Hac ergo utraque et nonnullorum invidia et plurimorum erga Tograjum benevolentia factum esse videtur, ut post Mohammedis mortem non denuo in Sultani Bagdadici aula munere suo functus fuerit, sed ut idem tamen ab hujus Mahmudi fratre Massudo creatus sit primus minister Vesirus (3). Etenim mortuo, A. hegirae 511., patri Mohammedi successit in Sultanatu Bagdadico filius Mahmudus. Quamvis autem ea aetate unus fere esset in regno Arabico princeps Sultanus Bagdadi, erant tamen hoc aut jubente, aut permittente, aut etiam invito, nonnulli semper de ejus gente, qui regni partem aliquam tenerent magnamque haberent auctoritatem, ipso adeo Sultanorum nomine insignes (4). Licet ergo Sultanus Bagdadicus esset Mahmudus, alteri tamen Mohammedis filio Massudo (5), quamvis juveni etiamtum, aliqua regni pars data fuit Aderbigiana (6), et huic superioris Persiae regioni prope adjacens celeberrima urbs Mosul in Tigridis ripa, prope quam antiquissimae urbis Nini-

(1) d'Herbel. voce *Thograi.*

(2) Conferantur quae infra de hac re dicemus p. 15, 16.

(3) Abulf. p. 416. Conf. Leo Afric. l. l.

(4) Abulf. p. 288, 292, 308, 336, 340, 384, 394. Hinc autem factum videtur, ut apud Herbelotum p. 800. in Sultanorum numero habeantur, qui aut brevissimo tempore regnarunt, aut Sultani Bagdadici nunquam fuerunt.

(5) Massudum hunc non Malekschahi filium, quod scriptum est a Cl. v. d. Palm, *Verhandelingen, Redevoeringen en losse Geschriften* T. II. p. 74., sed Mohammedis filium, Malekschahi nepotem fuisse, patet ex Abulf. p. 396, 322, 416. et d'Herbel. p. 605, 563.

(6) Conf. Schultensii Index Geogr. in vitam Saladini voce *Aderbigiana.*

nives rudera jacent (1). Ibi ergo juvenis Massudus cum Atabeco sive tutore suo regnavit, et ipse quidem Sultani nomen habuit (2), Vesirum autem sibi adscivit Tograjum, qui hoc munere functus esse dicitur Arbelae, et in ipsa huic proxima urbe Mosule (3). Faustum igitur hoc Tograjo accidit honorificumque atque eo magis gratum, quod, quam dignitatem in imperio meritis olim suis acquisiverat, hanc, invitis adversariis, gloriose iisdem ingenii laudibus tutam sibi et incolumem conservaret. Ast temporum iniquitate et hac ipsa inimicorum invidia factum, ut non nisi per trium annorum spatium hac felicitate frui ei liceret.

§. 5.

Turbis civilibus et inimicorum invidiis miserrima facta est Tograji conditio per omnem reliquam vitam ad mortem usque.

Eodem, quo Tograjus, tempore vixit Haririus (4), cujus notissimi sunt Consessus, vir eloquentiae multis floribus gemmisque distinctae fama inter Arabes clarus (5). Hic autem cum fuisset primum ad scribendum magnopere excitatus a Vesiro quodam Chaliphae Bagdadici ipsi favente, postea obtrectatorum quorumdam artibus fuit relegatus magnasque passus est injurias (6). Qui casus cum huic acciderit propter ingenii laudes; non est profecto mirandum, eadem aetate potuisse simili calamitate affligi Tograjum, qui praeter doctrinae gloriam magno conspicuus erat honore in rebus civilibus, id vero est in mediis magnatum studiis invidiisque.

Etenim qui Selgiucidae turbis civilibus usi ad imperium pervenerant, iidem con-

(1) Schultens ibid., voce *Mosula.* Conf. Niebuhr, *Reize naar Arabic*, II. p. 335 sqq.

(2) Abulf. p. 396. De ejus aetate conf. p. 518.

(3) Ibn Chalican apud v. d. Sloot p. 7.

(4) Eodem eum anno mortuum esse, quo Tograjum, refert Abulf. p. 412 sqq.

(5) Vid. annot. ad Abulf. l. l. item Golius Gram. Erpen. Lugd. Bat. 1656. p. 221. et Schultensius in edit. Consessuum Haririi.

(6) Vid. iidem.

continuis postea bellis secum invicem de principatu contenderunt. Quod autem reges praebent ambitionis contentionisque exemplum, id saepe imitantur eorum ministri aut etiam superant. Vereque adeo dici potest, his ipsis contentionibus factum esse, ut et extrinsecus irruentes hoc tempore per cruciatas expeditiones Europaei facillimas saepe haberent rapinas victoriasque (1), et intus Atabeki, sive Selgiucidarum minorennium tutores, ad eam paulatim vim increscerent, qua totum aliquando subverterent Selgiucidarum imperium (2). Quamobrem fieri vix aliter potuit, quin et ipsorum Sultanorum suprema auctoritas saepe a consanguineis bello armisque oppugnaretur (3), et magnatum ita inflammaretur ambitio, ut nonnulli in aula essent proceres, qui neque meritis ullis parcerent, neque virtutes ullas sanctas haberent (4), sed divitiis honoribusque inhiantes, saepe optimum quemque dilacerarent conviciis aut etiam ambitioni suae immolarent.

Ex his ergo intelligitur, quantis Tograjus esset objectus periculis, cum invidiarum multitudine et veluti affluentia eo posset facilius obrui, quo pluribus ipsum regnum magisque turbulentis tempestatibus agitabatur. Habuit autem ille adversarios complures eosque et acerrimos et maxime metuendos. In his praecipui fuere duo. Alter *Abu Taleb Samirakius*, homo fraudibus et clandestinis artibus insignis, quem vilipendebat Tograjus et contemnebat, quique erat eo magis ipsi timendus, quod in Sultani Mahmudi aula esset Vesirus (5). Alter accedebat in eadem aula *Asadus* aliquis, infensus Tograji calumniator, ipse eo tempore *tograe* scriptor (6). Hi ergo, uti videtur, antea Mahmudo eum reddiderunt invisum, effeceruntque ut in hujus Sultani Bag-

(1) Abulf. l. l. p. 318, 320. Conf. p. 424.

(2) d'Herbelot voce *Atâbek.* p. 142. Conf. de Marigny l. l. P. IV. p. 202 sq. 212 sq.

(3) Exempla videas Abulf. p. 286, 288, 296, 308, 322, 336, 338, 348, 350, 394, praesertim 396.

(4) Exempla habet d'Herbel. p. 563, 655.

(5) Haec habentur apud al Djouzi in MS. 88: Bibl. Lugd. Bat. Vocatur autem ibi السميرقي, unde intelligitur, levi vitio eum male dici السميري *Samiri* ab Ibn Chalicano apud v. d. Sloot p. 7.

(6) Ibn Chalican. l. l.

Bagdadici aula munere suo destitueretur. At iidem cum non potuissent prohibere, quominus magna illius in regno maneret auctoritas, magis deinde exacerbati sunt; et vero quem ad humilem conditionem detrudere voluissent, hunc videntes ad Vesiri dignitatem elatum a Massudo, vehementius etiam oderunt Tograjum, et dummodo aliqua esset opportunitas, summo flagrabant studio invisum istum hominem penitus perdendi.

Neque diu defuit in frequentibus imperii turbis sperata invidis faustaque opportunitas. Etenim tribus fere annis elapsis, Dobaisus, Emirus aliquis dominandi cupidus, Massudi tutorem incitavit, ut Mahmudo Sultanatum Bagdadicum eripere Massudoque vindicare conaretur. Quod consilium cum placuisset Massudo, fratrem bello aggressus est. Sed in prima jam pugna captus est ejus Vesirus Tograjus, ipse autem plane devictus (1). Accidisse hoc nonnulli historici referunt anno Hegirae 513. (2) aut 515. (3), sed satis constat accidisse A. 514. (4) mense Rabia priori, i. e. mense ejus anni tertio (5). Pugnam commissam esse tradit Abulfeda apud collem Asterabad (6), sed cum hujus nominis collis nullus notus sit, nisi qui in longinquiore maris Caspii litore jacet, fides unice habenda est Ibn Chalicano (7), qui pugnae locum fuisse dicit prope Hamadanem (8), urbem in Massudi ditione sitam. Cae-

(1) Abulf. l. l. p. 396, 398, 416.

(2) Ita Ibn Chalican l. l.

(3) Sic Leo Africanus l. l. et Ibn Schohna MS. 32. Bibl. Lugd. Bat. Conf. Abulf. p. 416.

(4) Monuit me Cl. Hamaker in hoc consentire omnes fere reliquos scriptores, e quibus laudat Aboul Mahasin, in MS. 636 et 374, Dzahabi in MS. 428 et 988. et Nuweirium.

(5) Hoc habet Nuweirius, habet quoque Abulfeda p. 398.

(6) Consentiente Nuweirio.

(7) Haec monuit Cl. Hamaker.

(8) Apud v. d. Sloot l. l. p. 7. lin. 11. ante فاول monuit me Cl. Hamaker excidisse verba بالقرب من همدان وكانت النصرة لمحمود ut sensus sit, *proëlio commisso prope Hamadanem fuisse victoriam Mahmudo.* Tria posteriora verba interpretatione latina expressit v. d. Sloot, scriptione Arabica non expressit; reliqua neque Arabice retulit, neque Latine.

Caeterum ipsi Massudo fraterna benevolentia condonavit Sultanus (1). Tutori quoque ejus Aderbigianae gubernationem reddidit, quamvis hic Emirorum quorumdam artibus, duobus annis postea, invisus Sultano redditus occisusque fuerit (2). Dobaisum item, qui totius rei auctor exstiterat, etsi vi atque armis diu reluctantem, benevole tamen idem generoseque postea in pacis suscepit societatem (3). At Tograjo haec res fatalis evasit.

Hactenus perspicua est Tograji historia et satis certa. Sed ab istius inde cladis tempore unum hoc constat, miserrimam ad obitum usque fuisse ejus conditionem; caeterum vero obscurae sunt et ancipites et dissentientes subinde historicorum de eo narrationes. Quod eo mihi accidit molestius, quia ex hac ipsa rerum conditione, quae post acceptam illam cladem Tograjo accidit, mihi videbatur fluxisse illud carmen, cujus causa omnis haec suscepta est disquisitio. Quamobrem ut hanc tollerem molestiam, singulas res etiam minutissimas studiose investigandas et monumenta historicorum singula diligenti adhibito judicio aestimanda censui et comparanda.

Itaque ante omnia hoc moneo, non existimandum esse, Tograjum aut statim post pugnam fuisse occisum, aut Sultani jussu ad mortem usque carcere detentum, aut omnino hanc solam ob causam necatum, quod adversariorum partes in bello esset secutus. Principio enim probabile non est, Sultanum Mahmudum, virum clementem et ad condonandum facilem (4), qui post hanc ipsam pugnam et Dobaisum ambitiosissimum hominem, et Massudi tutorem, et ipsum illum Tograji Sultanum benevole clementerque exceperit, soli huic Vesiro durum se crudelemque praestiturum et mortis supplicium fuisse inflicturum. Quam ad severitatem si vel a Tograji obtrectatoribus perductus fuisse censeatur, illuc tamen non tam subito extemploque perduci is potuisse videtur, qui ipsum illum Massudi tutorem, ut dixi, non nisi duobus annis postea inimicis trucidandum concessit. Deinde vero sunt quidem historici nonnulli, qui minus diligenter historiae seriem persecuti, et generatim rerum summam tra-

(1) Abulf. l. l. p. 398.
(2) Id. p. 418.
(3) Id. p. 398.
(4) Id. p. 444.

tradentes, eodem anno et pugnam illam commissam et Tograjum occisum fuisse narrant (1). Ipse Ibn Chalicanus, qui in alio loco accuratius Tograji vitam narravit, in alio contrariam huic narrationi refert sententiam, in ipsa pugna occisum esse Vesirum (2). Leo Africanus, totam hanc rem ornatius referens, mox pugna commissa Sultani jussu sagittis eum perfossum esse narrat, qui vero idem cum et universe minorem habeat fidem (3), et in hac ipsa re quaedam referat rerum veritati opposita (4), minoris ad certam rei cognitionem momenti esse videtur. Unus denique Dzahabi dicit, A. 514. captum fuisse Vesirum Tograi, addens وذبح صبرا (5), quae verba si interpretari possis: *et necatus est quum ad violentam mortem detineretur*; inde fortasse efficias Tograjum in hac pugna captum ad mortem usque carceri fuisse inclusum; sed sunt illa longe simplicius interpretanda: *et necatus est violenter* (6), nullaque carceris mentione facta, ibi dici censendus est sive statim, sive aliquamdiu postea occisus fuisse. At vero hisce partim incertis, partim minus accuratis parumque definitis relationibus si aliorum historicorum narrationem compares, uberiorem illam et singulas rerum gestarum partes diligentius explicantem, patebit luculenter, poëtam nostrum post pugnam peractam aliquamdiu vixisse liberum, nec nisi subsequenti anno inimicorum ipsi invidentium artibus insidiisque fuisse necatum. Primum enim et Abulfeda (7), et Ibn Chalicanus (8), annum pugnae commissae a subsequenti occisi Togra-

gra-

(1) Sebt ibn al Djouzi annum et pugnae et mortis Tograji tradit 514., in MS. 88. Bibl. Lugd. Bat. Abulfeda duas refert sententias, alteram de anno 514., alteram de anno 515. Vid. l. l. p. 416.

(2) In vita Massudi Sultani Selgiucidae N. 730. T. III. p. 14. codicis Palmiani.

(3) Conf. Reiske l. l. p. 224.

(4) Illud maxime specto, quod p. 277. referat Massudum a Mahmudo captum et in carcerem conjectum fuisse civitatis magnae: cujus rei contrarium effecimus ex Abulf. p. 398.

(5) In MSS. laudatis.

(6) Conf. Cl. Willmet Lexic. p. 420. Simillima ratione Abulfeda dixit وقتل صبرا *occisus est violenter.*

(7) Vid. l. l. p. 396, 398. coll. p. 416.

(8) Apud v. d. Sloot l. l.

graji anno distinguunt: cumque bellum illud, ut diximus, initio A. Heg. 514. ad finem perductum sit, plerique contra historici illum mortuum fuisse referunt A. 515. (1); nonnulli etiam, quamvis minus probabiliter, A. 518. (2). Deinde si fides hac in re haberi possit Leoni Africano, occisus est Tograjus neque prope Hamadanem, ubi pugnatum est, neque Bagdadi aut Ispahane aut in aliqua Sultani Mahmudi urbe praecipua, sed in *Campania Marghoë* (3), quae est fortasse regio Maragae urbis in Aderbigiana, Massudo subjecta, sitae (4). Denique, quod maximum est, et Abulfeda et praesertim Ibn al Djouzi atque Ibn Chalicanus cum mortis causam, tum rerum adjuncta, quae illam et antecesserunt et comitata sunt, ita descripserunt, ut statui non possit, continuo post pugnam occisum fuisse Tograjum (5).

Has ergo uberiores diligentioresque narrationes si audias, *Mahmudi Vesirus Abu Taleb Samirakijus* (6), *cum audivisset, captum in pugna esse Tograjum, collocutus est cum al Schehab Asado, apud Mahmudum tograe scriptore; qui cum ipsi dixisset: Tograjus iste est haereticus, respondit ei Vesirus: Qui haereticus est, occidi debet; et occidit eum violenter* (7). وكانوا خافوا منه لاقبال محمود عليه لفضله (8) *Re vera autem sibi ab eo metuebant, quia Mahmudus ad eum venerat propter ipsius praestantiam. — Quare illa causa praetexta caedem ejus perpetrarunt.* Haec Ibn Chalicanus. Ibn al Djouzi vero haec narrat (9): وكان السلطان محمود قد نسب خروج اخيه مسعود عليه الي الطغراي *Sultanus Mahmudus causam bel-*

(1) In his Hadji Chalpha l. l. Leo Africanus p. 277. Abulfeda p. 416.

(2) Apud Ibn Chalicanum l. l.

(3) Fabricii Bibl. Graec. l. l. p. 277.

(4) Hanc conjecturam mecum communicavit Cl. Hamaker.

(5) Quamvis ergo Ibn al Djouzi eodem anno id factum esse referat, ut dixi, aliquod tamen cogitasse videtur temporis intervallum pugnam illam inter et Tograji caedem.

(6) Ita legendum esse, non *Somairi* vel *Samiri*, monui antea p. 15.

(7) Haec Ibn Chalican apud v. d. Sloot p. 7.

(8) Ita verba, quae apud v. d. Sloot corrupta exhibentur, corrigenda esse e codice Ibn Chalicani Palmiano, monuit me Cl. Hamaker.

(9) In MS. 83. Bibl. Lugd. Bat.

belli, quod ipsius frater Massudus ei intulerat, repetiit a Tograjo: quae suspicio cum a rei veritate plane sit aliena, mihi videtur ab istis profecta esse calumniatoribus. Idem deinceps: قد ذكرنا ان السميرقي عاجله بالقتل *memoravimus etiam Samirakijum magno in eum studio invectum fuisse, ut occideret.* Scilicet paulo ante dixerat: وكان الطغراي وزير مسعود قد هرب يوم الوقعة فاخذه غلمان الوزير ابو طالب السميرقي فبادر السميرقي وضرب عنقه *Erat autem Tograjus Vesirus Massudi, quem aliquando in fuga versantem prehenderunt servi Vesiri Abu Taleb Samirakiji, eumque antevertit Samîrakijus atque collum ejus amputavit.* Postea vero addit idem: واقام اقواما يشهدوا عند السلطان محمود ان الطغراي زنديق وانه لا يدين بدين الاسلام وكان الطغراي يحتقر السميرقي ويتصغره *Stiterunt vero se nonnulli, qui apud Sultanum Mahmudum testarentur, Tograjum impium esse neque religioni Islamiticae addictum; sed vilipendebat Tograjus Samirakijum et contemnebat eum.* Denique Abulfeda tradit, *de eo dixisse Sultanum Mahmudum: Mihi constat perversam esse illius de religione sententiam; et mandasse ut occideretur* (1).

Quae singula consideranti, hic mihi videtur rerum gestarum ordo constituendus. Anni Heg. 514. mense tertio, pugna peracta in pacem cum Mahmudo redierunt Massudus ejusque in regno ministri, praeter Dobaisum, omnes. Inter hos ergo libere dimissos et in suam dignitatem restituendos erat quoque Tograjus. Quod cum viderent et alii in aula Sultanica principes viri et Vesirus maxime ac tograe scriptor, infesti ejus adversarii, cumque eum prae ceteris etiam magni a Sultano haberi intelligerent, hanc ferre non poterant invisi hominis felicitatem, imo vero quem in pugna captum antea laeti audiverant, eum jam aut in carcerem conjectum, aut violenti neci traditum sibi fingebant. Quocirca Sultanum Mahmudum adierunt eique persuaserunt, belli istius, quod moverat Massudus, primum auctorem habendum esse Tograjum, ambitiosum hominem imperioque periculosum. Haec vero calumnia cum nondum sufficeret apud Sultanum, erga inimicos clementem, consilium secum invicem inierunt Samirakijus et Asadus, et hic quidem: Est vero iste haereticus, ait, et Moslemicae sese doctrinae opposuit! Recte dicis,

(1) Haec Abulf. p. 416. ex Ibn al Atir tradit.

cis, inquit alter, est hoc crimen morte plectendum. Quo facto hujus rei testimonia quaerebant. Et vero quae id testari viderentur, loca facile invenire illi poterant in Tograji scriptis et multis et variis variaque ac prorsus liberali doctrina repletis, et si vel non invenissent, longe etiam facilius erat corruptos testes nonnullos coram Sultano sistere. Sistuntur ergo brevi postea aliqui coram Mahmudo testantes, Tograjum impium esse neque religioni Islamiticae addictum. Quo audito Sultanus, sive vere id credidisse censendus sit, sive hanc persuasionem simulasse, ut, quod saepe fiebat a Sultanis (1), gratificaretur principibus illis viris, magna et apud se et in regno auctoritate valentibus, Tograjum favore suo indignum esse pronuntiavit eumque posuit in potestate Vesiri Samirakiji, qui flagrabat cupiditate eum necandi. Interea vero dum haec aguntur in aula, sensimque ad consilii maturitatem proceditur; insidias sibi strui intelligens Tograjus sese jam in fugam conjecerat, melius fore ratus, quamvis senem, in ignoto tutove loco oberrare exsulem, quam in Principis sui aula medioque divitiarum et honorum splendore sedere cum vitae periculo. Et sic quidem per reliquos novem hujus anni menses integros partemque insuper vel minorem vel majorem anni subsequentis Samirakiji dolis sese subtraxit. Sed tandem, anno Heg. 515., istius hominis servi quaquaversum ad eum indagandum missi prehenderunt Tograjum, prehensumque tenuerunt, donec ipse advenisset Vesirus, ut eximii viri caput sua manu amputaret, aut certe senis sanguinolenta nece morientis spectaculo frueretur.

Ita occubuit Tograjus plus quam 60 annos natus (2). Qui quali quamque misera conditione vixerit exsul, et quam magno animo fuerit ultimo praesertim hoc vitae tempore, memoriae non prodiderunt historici. Hoc ergo quamvis equidem aliunde ratiocinando confici posse censeam, adhuc tamen proferre nolo, ne sententiam opinionemve meam cum historiae veritate commiscere videar.

Sed nihilominus, seposita etiam sententia mea, ex iis ipsis historicis unusquisque facile ea colligat, quae si non singularem ultima hac viri aetate animi conditionem describant, at satis tamen evidenter docent, qua universe indole, quibusque per totam vitam moribus fuerit. Nam si quem virum hono-

ri-

(1) Exemplum quoddam habet d'Herbelot p. 563.

(2) Abulf. p. 416.

ribus divitiisque illustrem tum etiam ament homines, quando omnis munerum opumve ab eo nanciscendarum spes interiit; sique eum mortuum semper laudare gestiant, idque agant non in amicorum quadam societate, sed inter medios ejus inimicos interfectoresque magna auctoritate pollentes; si denique illius amore homines Orientales eo procedant audaciae, ut ejus caedem Sultano crimini dare ausint: ille profecto excelsa indole et amabili fuisse, et his ipsis virtutibus magis etiam quam opum dignitatisve decore excelluisse erit judicandus. Hanc autem de Tograjo mortuo relationem tradidit Ibn al Djouzi (1), quam equidem eo lubentius dabo integram, quod et nativa sese narrandi simplicitate commendat et miro quodam ingenii Orientalis acumine. Sic autem narrat. جلس السلطان محمود يوما في بهو فيه عصافير فقال ادينا هذه العصافير فقال له بعض خواصه يامر السلطان بعض الفراشين يصعد اليها بسلم فيرقي اعشاشها او يامر بعض الغلمان بان يرميها بالبندق فقال ما استحلّ ذلك فقيل له كيف استحللت قتل مويد الدين الطغراي مع شيخوخته وفضله فقال ما مع الفضل فضول يعني انه اوقع بينه وبين اخيه. *Aliquando consederat Sultanus Mahmudus in aede quadam ampliori, in qua erant passerculi. Tum dicebat: Adduc ad nos passerculos hosce! Tum nonnulli de viris ejus primariis: Jubeat Sultanus, inquiebant, aliquem cubicularium adhibita scala conscendere ad eos, atque ita se ad eorum nidos efferre; aut nonnullos juvenes jubeat eos petere projectis globulis. Respondit: Non licitum hoc est. Ei vero responsum est: Quomodo ergo licitam esse voluisti caedem Mowajjeddini Tograji, quamvis senis et praestantis viri? Tum ille: Quid, inquit, praestantem dicis virum, qui modum omnem excessit? Quo dicto significabat eum effecisse, ut pugna oriretur inter ipsum et ejus fratrem.*

Sed haec fortasse, quamvis honorifica, minus tamen admiranda videantur et cuidam eruditionis, quae in Tograjo fuit, existimationi tribuenda. Ast aliud etiam narratur, e quo perspicias, quanto amore ac desiderio Tograjum prosecuti sint, qui familiari ejus consuetudine fuerant usi. Nam cum Samirakius Tograjum occidisset, hujus servus aliquis niger, ira in illum excitatus, non antea quievit, quam videns eum in balneum euntem solum, ex insidiis ir-

(1) In MS. laud.

irrueret, multis eum cultri ictibus vulneraret, et, mense secundo A. Heg. 516. in foro Bagdadi prope celeberrimam Nezami scholam, occideret (1). Quae res magnam profecto eximiae indolis existimationem movet. Etenim est illud quidem minime rarum in Oriente, ut patris fratrisve caedem ulciscatur filius aut frater aut consanguineus aliquis. At vero Tograji caedem ultus est, non consanguinei consanguineus, sed heri servus; eoque ipso hic docuit, et multo magis sibi, quam isti servilis abjectique animi Vesiro Samirakijo, indolem inesse libero homine dignam, et vero amabilem fuisse animum Tograji, quippe quem et viventem amarit et occisum desiderarit ultusque fuerit tanquam parentem servus aliquis.

§. 6.

Carminis compositi tempus et opportunitas.

Haec cum fuisset Tograji vita et mors violenta, merito dictus est a posteris اعلام الشهيدين, *praestans inter martyres*, quippe qui ingenii animique dotibus ipsis et virtutibus mortem sibi contraxisset (1). Et vero, qui antea felicissimus suis ipse meritis evaserat Tograjus, idem postea miserrimus factus post Principis sui cladem, hanc miseriam fortisssime tulit, et quibus mentis animique facultatibus gloriam sibi et dignitatem divitiasque ab initio comparaverat, iisdem hoc ultimo vitae tempore eum sese praestitit virum, qui et ob generosam indolem invictamque fortitudinem jure laudetur ab omnibus, et in summa egestate atque vitae obscuritate suis contentus rebus, ditissimus merito habeatur et honestate insignis. Quam de ultima Tograji aetate sententiam cum ex historicorum sola narratione effici posse negaverim, luculenter mihi videor eam posse comprobare ex ipso de quo agimus carmine. Etenim, ut illud continuo profitear, mihi videtur Tograjus hoc praecipuum suum carmen eo ipso tempore composuisse, quod istam Massudi cladem inter et ipsius mortem inter-

(1) Haec habent Ibn al Djouzi in MS. laud. et Ibn Chalican in codice Biblioth. Lugd. Bat. N. 16. item in codice Palmiano.

(2) Vid. d'Herbelot voce *Thograi.*

cercessit, eademque haec tristissima fortuna et molestissima in causa fuisse, ut versus funderet, plenos affectionum, plenos vigoris et excelsae plenos constantiae atque virtutis. Quam sententiam meam quo evidentius declarare possem, propter id ipsum censui poëtae vitam omnem quanta possem diligentia antea esse enarrandam. Quod vero idem cum gravissimum sit, et suam demum carmini vim splendoremque proprium suamque conciliet pulcritudinem, age, id, quantum fert rei natura, accurate nunc demonstremus, ultima hac et infelicissima vitae aetate, anno Hegirae 514. aut 515. carmen suum composuisse Tograjum. Ita demum certo intelligere licebit, quo ille animo tum fuerit, et quam bene hunc versibus expresserit.

Sunt ergo certa in ipso carmine indicia temporis quo fuit compositum. Etenim senex erat poëta, vs. 2, 40., adeo quidem, ut aequales ejus plerique jam essent mortui, vs. 45. Et muneribus suis honoribusque et opibus etiam erat privatus, vs. 1, 4, 8, 36. Ipsius loco in amplissimos honores evecti erant alii homines qui longe ipsi essent postponendi, vs. 38, 43, 44. Quod quidem fuerat effectum opera hominum, qui quum antea amicorum speciem simulassent, jam facti erant inimicissimi, vs. 48, 51. Hac ergo rerum infelicitate pressum, se in itineribus faciendis malorum solatium fortunaeque restituendae opportunitatem quaesivisse dicit vs. 8. Sed in hac quoque re fuisse infelicem, vs. 9. Venisse se jam Bagdadum, sed neque ibi se diutius manere velle, vs. 3, 4, 5. Itaque prope hanc urbem jam degens, videtur consilium cepisse in patriam consuetamve habitationem revertendi. Dicit enim, se nec posse diutius peregrinari, vs. 6, 7., nec habere quicquam quod ex itineribus suis acquisiverit, nisi ut salvus redeat, vs. 9.

Haec ergo indicia videamus num conciliari possint cum historicis de carminis compositi tempore testimoniis. Sunt enim hujusmodi testimonia quaedam, sententiae meae opposita. Et primum quidem non A. 514. aut 515. Heg. compositum esse carmen, sed A. 505. Bagdadi, narrat Ibn Chaiican (1), quocum consentiunt Hadji Chalpha in Lexico Bibliographico, et Sebt ibn al Djouzi (2), adduntque duo priores, conditionem suam in eo de-

(1) Vid. v. d. Sloot p. 6.
(2) Locis laudatis.

descripsisse poëtam et de tempore suo questum esse. At vero A. 505. Tograjus vir erat 50 fere annos natus, neque adeo ea erat aetate qua senem sese diceret, cujus aequales omnes jam vita essent defuncti. Et qui eo tempore in Mohammedis Sultani aula honoris munerumque dignitate fruebatur, hanc conditionem suam vere describere non potuit tanquam honoribus omnibus et opibus destitutam omninoque miserrimam. Hadji Chalpham autem non adeo fidum esse in numeris, ut propter ejus testimonium res omni dubio careat, monuit me Cl. Hamaker. Ibn Chalicanus vero in hac ipsa narratione sua minus est in numero quodam indicando diligens, quippe qui dicat plus quam 60 versuum esse Tograji carmen (1), quod non plures quam 59 versus continet. Cuncti vero illi tres auctores ex uno eodemque fonte, sed corrupto, sua hausisse videntur. Quae suspicio confirmationem aliquam in eo habet, quod et Ibn Chalican et Hadji Chalpha dicens in carmine suo Tograjum *conditionem suam descripsisse et de tempore suo esse questum*, uterque iisdem paene utitur verbis, prior يصف فيها حاله ويشكو ازمانه (2) posterior ذكر فيها وصف حاله وشكوي زمانه. — Et haec quidem illi. Leo autem Africanus plane diversum ab illis dedit testimonium. Quem si audias, Tograjus hoc carmen fecisse censendus est A. 513. ante pugnam illam, de qua jam saepius dixi, quum in Massudi aula versaretur. Narrat enim, hunc Principem vidisse eum scribentem, lectoque hujus carminis versu 8., eum propter nimiam ambitionem reprehendisse. Ego enim, inquit, primus sum dominus dimidiae Asiae et tu quasi secundus; neuter vero nostrum rebus suis contentus est: quocirca nihil reliquum est, nisi ut evadamus Dii, sed metuo malum nobis hujus rei exitum. Post haec autem sex tantum ait menses elapsos fuisse, quum in bello vinceretur Massudus, Tograjus vero occideretur (3). Ast habet haec narratio aliquid divinationis et quandam vaticinii speciem, quam lubenter solent fingere historici Arabes. Praeterea vix videtur potuisse Massudus, juvenis admodum, et uni imperans Aderbigianae, sese illo tempore dicere *dimidiae Asiae dominum*, et *solis naturis divinis inferiorem*. Certe si ita de se existimarit Rex orientalis, non tam fuis-

(1) Vid. apud v. d. Sloot ibid.

(2) Sic legendum videtur pro ويشو ازمانه. Vid. v. d. Sloot ibid.

(3) Vid. Fabric. l. l. p. 276, sq.

fuisset humilis, ut suae ipse ambitionis nimiae culpam sollicitudinemque ministro cuidam aperiret candideque fateretur. Sed quod maximum est, neque versus ille 8., ut postea docebimus, neque universum carmen nimiam quandam aut ambitionem spirat aut avaritiam viri, summa honoris dignitate in regis aula florentis; verum manifesto prae se fert poëtam bonis omnibus et muneribus privatum, exsulem, de infelicitate sua querentem.

His ergo documentis, ex ipso carmine petitis, inducor equidem ut credam, male ab historicis dici hoc carmen A. 505. aut 513. esse compositum. Ast, dicat fortasse aliquis, confictum est a poëta hoc carminis argumentum, non ad historiae veritatem expressum, neque illud e fortuna poëtae et infelicibus in senectute fatis repetendum, sed ex animo hominis, qui florenti etiam aetate, quamvis felix, aliis invideret semper suaque sorte numquam esset contentus. Scio equidem, solitos esse poëtas Arabes fictis quibusdam historiis sua ornare carmina; in ipso etiam hoc Tograji carmine aliquid huic rei quodammodo simile me agnoscere, postea declarabo. Fateor etiam, eosdem nonnunquam sese finxisse miserrimos, quo magis aut suam fortitudinem aut aliorum benevolentiam splendide extollerent, iis similes pictoribus, qui tenebrarum umbrarumve coloribus admiscendis ipsi lumini lucive majorem addunt pulcritudinem. Ita Ibn Doreidus, quo magis et excelsam suam indolem et patriae amorem et vero maxime duorum principum virorum erga se benevolentiam celebraret, miserrimum sese finxit exsulem, una illorum virorum liberalitate et animi sui fortitudine erectum (1). At idem tamen nego, confictum esse praecipuum hoc Trograjici carminis argumentum, quod in describenda versatur fortuna adversa. Etenim, ne dicam, nullum in hoc carmine cerni fingendarum calamitatum consilium simile ei, quod Ibn Doreido fuit; illud unice animadverto, ea reperiri in hoc poëmate temporis et conditionis cujusdam peculiaris indicia, quae ex rerum veritate videntur expressa et vero reapse cum viri historia congruunt. Namque non facile in ipso flore aetatis et in medio munerum publicorum lumine positus quisquam se-

(1) Vid. Cl. Pareau in Comm. de indole nobilissimi poëmatis Arabici Kasida al Maksoura, quod Ibn Doreidum habet auctorem, in Opp. Instituti regii artium et doctrinarum Class. III. Vol. II. p. 104-106.

sese fingat honoribus omnibus destitutum, aequalibusque omnibus superstitem senem. Accedit quod ipse ille Ibn Chalicanus, qui Ibn Doreidi carmine, quamvis luctuoso et querelis pleno, duorum virorum laudes contineri docet, in Tograji contra historia, ut dixi, manifesto declarat hunc poëtam in carmine suam descripsisse conditionem (1): et Abu Gjumat in Commentario ad Tograji carmen significat poëtam eo tempore a Vesiratu fuisse depulsum (2). Et vero flebilia illa et infelicia fata postremo vitae tempore revera Tograjo accidisse, ostendimus. Quo ergo tempore si statuamus compositum fuisse carmen, facilia sunt omnia et sponte ex poëtae conditione profluentia; sin contrarium ponamus, non tantum falsa sunt omnia et parum congrua, sed et dicendus erit poëta in media fortuna secunda eam ipsam calamitatem sibi finxisse, quae postea revera accidit, eamque perspicuo quodam omnibusque numeris absoluto vaticinio divinasse. Unum his opponi potest, quod illi suspicioni quodammodo favere videatur. Etenim Leo Africanus, postquam dixisset, ditissimum fuisse Tograjum, verba quaedam addidit, quae in interpretatione ejus Latina sic exhibentur (3): „ Et hoc non obstante, *nunquam contentus fuit* neque de patrimonio suo neque de divitiis acquisitis, cum omnibus imperialibus magistratibus. Et in omnibus canticis *in vita sua recensitis continue lamentabatur*, *vituperans tempus*, quod eum injuriaverat, adeoque coactus eo est *Alchimiam* addiscere." Qualis si revera fuerit Tograji indoles, est certe minus improbabile, ab eo confictum fuisse carminis argumentum, lamentatione plenum et animi fortuna sua non contenti querelis. At primum quam parum accurate haec dicta sint a Leone, ex eo patet, quod satis constat, non ad chemiam colendam processisse Tograjum, quum ditissimus jam esset, sed contra hac ipsa arte exercenda tantas demum, quantas Leo significat, divitias fuisse naetum (4). Deinde vero iniquum istud de illius indole judicium mihi videtur unice fluxisse ex ipso hoc nostro carmine male intellecto. Nam cum in illa interpretatione Latina formis literarum a reliquis distincta sint verba: *nunquam contentus fuit*, et *continue lamenta-*

(1) Vid. commentationis nostrae p. 24, 25. Conf. Cl. Pareau l. l. p. 99.
(2) Vid. apud v. d. Sloot ad vs. 1.
(3) Fabric. l. l. p. 276.
(4) Vid. Nuweirius laudatus commentationis nostrae p. 10.

tabatur, *vituperans tempus*; ea ipsa literarum forma diversa monere videtur, esse haec non ipsius historici verba, sed aliunde petita. Uti ergo antea vidimus nostri carminis versum 8. male intellectum esse a Leone, ita quoque uterque hic locus ex eodem carmine ab eo petitus videtur, prior e vs. 40., ubi dicit poëta: لم ارتض العيش *non contentus fui vita*, vel *vitae conditione*, posterior e vs. 37, 38., ubi fortunam vituperans eamque sibi iniquam esse dicens poëta ait: اهبت بالحظ, quod significare potest *increpavi fortunam.* Certe ex his similibusve locis aut ipsi Leoni aut alii cuidam historico, ex quo ille sua hauserit, ea de Tograjo sententia facile potuit oriri. Quae vero sententia cum ex illis locis immerito efficiatur, ut postea docebimus, cumque abhorreat a Tograji indole, qualem et in historia et in hoc carmine videmus; equidem ut in aliis multis, ita hac in re uni Leonis testimonio non confido.

Haec cum ita sint, mihi quidem nihil aliud superesse videtur, nisi ut statuamus, praecipuum carminis argumentum ex ipsa petitum esse Tograji conditione, idque eo fuisse tempore compositum, quo post Principis sui cladem senex longe a domo divitiisque et ab aulae muneribus remotus exsul peregrinabatur. Et vero, quantum ex historicis, quas supra adduxi, narrationibus concludere licet, mirifice in hoc tempus conveniunt ea omnia quae de se in carmine dicit poëta. Nam a prima inde juventute ad id eum fuisse educatum, ut aliquando summos in imperio magistratus gereret, eundem vero senem omni Sultanorum principumve praesidio caruisse atque in vitae adeo periculo fuisse versatum, constat ex historia, constat item e carmine, vs. 59, coll. vs. 2, 40, 45. Eundem antea in Sultanorum aula et poëseos, eloquentiae aliarumque artium multarum facultate, et munerum civilium dignitate ita paulatim inclaruisse, ut tandem Vesirus reliquos in imperio viros principes plerosque superaret fama et auctoritate, postea vero longe ab aula pulsum atque relictum fuisse ab amicis omnibus et honoribus omnibus privatum, narrant historici, indicat autem poëta vs. 1-8, 36-38, 43-49, 54-58. Quam fortunae conversionem referunt historici opportunitate quidem factam pugnae alicujus inter Sultanos commissae, causam vero iidem in eo latuisse significant, quod viri quidam in aula principes jamdiu Tograji auctoritatem aegre ferebant, eique quippe ingenii animique dotibus longe superiori invidebant; qui cum jam antea in Sultani Bag-

Bagdadici aula munera Tograji, huic detracta, sibi vindicassent, tandem etiam id insidiis erant consecuti, ut ipse in aula manere non amplius posset. Hanc vero ipsam causam luculenter declarat carmen, vs. 37, 43, 44, 48 - 53. coll. vs. 30 - 36. Denique ex historia patet, virum illum, Sultanis aeque atque Chaliphis olim honoratum, post fatalem illam cladem in fugam sese conjecisse et ad tantam fuisse humilitatem detrusum, ut unicus, qui vere dici posset, amicus ejus et vindex esset servus aliquis. In carmine autem unicus etiam fidelissimus comes memoratur, qui adeo ipse ille optimus servus fuisse possit fortasse videri: certe dicit poëta, diu sese fuisse peregrinatum cum molestiis maximis, venisse etiam in Chalipharum sedem Bagdadum, ut inde solatium peteret, sed frustra; tandem omni melioris fortunae exspectatione destitutum ac paene desperabundum, eo fuisse compulsum ac prope coactum, ut, cum peregrinari amplius nec vellet nec posset, domum reverteretur, vs. 3 - 11.

§. 7.

Tograji animus in carmine conspicuus.

Hisce calamitatibus maximis intime vehementerque ille fuit motus earumque acerbitatem penitus persensit. Ita enim pergere nunc licet ad Tograji indolem animumque ex ipsa carminis ratione adumbrandum. Sensit igitur doluitque honorum omnium et divitiarum jacturam, vs. 1, 4, 8. Doluit itinerum molestias, vs. 6, 7. Sed vero quamvis haec sentiret esse molesta, tamen, quod alti generosique est animi, longe etiam magis doluit amicorum absentiam, et perfidiam inimicorum, ut ipsam hanc rerum externarum indigentiam vix sentire videretur et paene negligere prae magna perfidiae aversatione et amicorum desiderio, vs. 4, 5, 48 - 53; unam hanc ob causam moleste illam ferens bonorum jacturam, quod virtutis suae ostendendae opportunitate careret et exercendae nobilissimae erga miseros liberalitatis, vs. 8, 9, 41, 42. Tam acri autem sensu cum esset Tograjus, tamque ab omni simul duritie et inhumanitate remotus, mirum sane non accidit, illum, quippe hominem Orientalem vehementibus ductum affectionibus eundemque poëtam Arabem, modo queri valde afflictum, vs. 3 - 8., modo fortunam perstringere iratum, vs. 9,

 37,

37, 38, 43-45., modo etiam in inimicos, humili perfidaque indole conspicuos invehi acerbius, vs. 30-33, 44, 46-53.: ut ex sola pristinae felicitatis et juvenilis amicitiae amorisque recordatione solatium petere posse videatur, vs. 10-29. Ast vero si eundem hominem, tam vehementer sua sorte affectum, hoc uno conspicias sese erigentem, imo in summa miseria gloriantem, quod, qua ipsa olim fortunatus evaserat juvenis et aliis hominibus sibique spectatus, vs. 1, 2, 44, 58, 59. coll. vs. 16-20, 27-29., eadem nunc et rerum peritia et animi fortitudine virtutisque praestantia senex in omnium rerum defectione sibi ipse plane sufficiat; si eum audias opibus egentem, sed animi facultatibus sese divitem, externo splendore carentem, sed sua se splendentem praestantia, Vesirali torque destitutum, sed virtutis decore ornatum, exsulem, sed ipsa peregrinandi patientia nobilem sese praedicantem; si denique fortunae tempestatibus quassatum cernas, sed animi firmitate immotum, sibi semper constantem atque impavidum, vs. 1, 2, 35, 36, 42, 49.: tum demum intelliges, quantus vir fuerit Tograjus et quam excelsus planeque admirabilis. Enimvero quod viris bonis accidere solet, ut, quo magis deprimantur animi sensus et redigantur in angustias ac veluti nervi in fidibus contendantur, eo majorem acquirant vim et sonum edant acriorem; idem contigit Tograjo, qui in fortuna iniquissima fortissimam indolem ostendit omninoque sublimem. Et hoc quidem magnum est in homine Arabe, ipsique, ut ab initio dixi, genti humanae honorificum habendum; spirat enim animi vim quandam omnibus naturae viribus superiorem, virtutisque efficacitatem in humana imbecillitate divinam; nec tamen hoc in Tograjo fuit omnium maximum. Etenim ut in musica vehementibus sonis et acribus, ex nimia omnium nervorum contentione ortis, praestat harmonia; ita illi fortitudini iisque animi viribus, quae te percellunt atque in admirationem rapiunt, praestat animi in summa calamitate contenti quies et concentui simillima aequabilitas. Jam vero Tograjus, postquam excelsas fortitudinis voces ediderat, tandem in fine carminis: Sed quid in hac terra perenne quis speret, inquit, aut quid optet amplius, quam quod satis est! Et vero eundem non admiramur tantum, sed et amamus, quippe qui, cum olim honoribus, opibus doctrinaque unice fuisset delectatus, nunc senex in miseria summa: Ille demum, inquit, dives est et sapiens et honestate insignis, qui animo vivit sua sorte contento, vs. 54-57.

§. 8.

Carminis argumentum.

Sic autem animatus poëta quum exsul ad urbem Bagdadum venisset et hanc quoque sine solatio ullo fuisset egressus, tum vero affectus suos continere amplius non poterat. Cum ergo, quamvis calamitatibus pressus, virtutis suae conscientia sensuque erigeretur, in carminis initio dicit, eundem se mansisse constanter, qui fuerat olim, et quamvis muneribus orbatum, virtute se sua semper esse insignem, vs. 1, 2. Deinde tanquam vultu ad urbem converso, nolle se ait in ea diutius commorari, in qua nihil sit quod ipsum teneat, nulli aut propinqui aut amici, qui solatium ipsi impertiantur, vs. 3 - 5.: neque tamen posse se peregrinationem suam diutius protrahere, qua jam defatigati sint cameli comitesque, vs. 6, 7. Accedebat etiam quod, cum itineribus suis opes quasdam acquirere studuisset, quibus ad suam utpote viri nobilis dignitatem sustinendam indigeret, haec quoque eum spes fefellerat, vs. 8. Itaque miserrimus senex nihil, quo gauderet, habebat, nisi hoc unum, quod incolumis domum redire, quamvis re infecta, posset, et quod unicum etiamnum inter comites haberet sodalem sibi dilectissimum, virum eximium, vs. 9 - 11.

Hujus vero amici facta mentione, incidit ei cogitatio facinorum, quae hoc comitante peregerat juvenis. Quare cum dulcis sit in calamitosa senectute fortunatae juventutis recordatio, ejusmodi facinore prolixe enarrando sibi indulget. Quam quidem narrationem, ut postea dicemus, non unice ex rerum veritate et vitae suae historia expressam esse a poëta, sed aut ingenio confictam, aut saltem ornatam poëtice, suspicari licet. Hanc vero suspicionem quamvis equidem non rejiciendam arbitrer, ita tamen censeo, parum hoc referre ad poëtae mentem cognoscendam et carminis rationem ex ea repetendam. Etenim fictarum voluptatum cogitatio eandem affert jucunditatem aut ei simillimam, quae ex verarum voluptatum recordatione solet oriri. Certe juventutis memoria abreptus poëta praesentium rerum sensum negligere videtur, praeteritarum unice jucunditate delectari.

Narrat igitur, se aliquando cum hoc eximio comite peregrinatum noctu fuis-


fuisse juvenem; socios dormivisse omnes; se vero interea arduum quoddam facinus volvisse animo. Quare hunc dilectissimum socium e somno excitaverat, vs. 12, 13. eumque graviter erat hortatus, ut secum audax illud facinus perageret, vs. 14-16. Quo facto declaraverat, velle se puellam perquam amatam adire, sed hastis gladiisque undique cinctam illam et custoditam a viris fortissimis ejus aditum prohibentibus, v. 17-20.: at vero tam esse amabilem puellam, eandemque ex tam praestanti tribu oriundam, ut, quamvis viros illos fortiter resistentes se experturum probe sciret, nullis tamen periculis, laboribus nullis parcere vellet, ne amoribus frustraretur, vs. 21-29.

Haec, quae olim comiti suo dixerat, recordatus, et gratissimum vitae suae tempus sibi repraesentans, aliquod certe in summa infelicitate doloris levamen nactus erat. Sed his dictis subito a juventutis memoria ad praesentis conditionis cogitationem redit. Scilicet in rebus illis enarrandis ostenderat simul suam animi fortitudinem, periculi contemtum et in peregrinationibus peragendis laboris patientiam. Quam cum in illa narratione verbis etiam expressisset, vs. 27-29.; subito eandem sentit sibi etiamnum seni esse fortitudinem, quae fuerat juveni. Quocirca unde digressus erat, eodem revertitur, et eos ipsos exprimit animi sensus, quos in conditione habebat praesenti.

Itaque vilissimum esse et abjectissimum dicit eorum hominum studium, qui malunt turpiter quiescere, quam agere periculose, vs. 30-33., gloriam vero in audacibus facinoribus quaerendam esse et in peregrinationum difficultatibus, vs. 34, 35. Scilicet has et celebrare impense solent Arabes, et ipse, cum juvenis, tum senex, fortiter pertulerat. Harum ergo difficultatum gloriam longe praeferendam esse dicit amplissimis muneribus, in quibus summum honorem esse, plerique falso statuant, vs. 36. Quibus omnibus cum indignatione prolatis poëta et recte sese laudat, qui, quamvis honoribus civilibus orbatus, virtutis honestate esset decorus, et clam etiam adversarios perstringit, qui, etsi muneribus publicis longe ipsi praestarent, animi tamen ingeniique dotibus longissime essent postponendi. Deinde vero aperte et istos vituperat et suam conditionem praesentem describit suosque animi sensus: in quo loco ita versatur, ut affectibus suis quassatus fluctuet, modo praestantiae suae conscientia sese erigens, modo calamitatis sensu depressus, modo sua de inimicis indignatione abreptus. Itaque iniquam esse et coecam dicit fortunam,


quae

quae vilissimis faveat hominibus, se contra negligat, vs. 37, 38. At vero, uti antea semper, ita nunc etiam majora se constanter atque meliora appetere neque omnino dulci spe destitui, affirmat, vs. 39, 40., maxime autem suae se virtutis sensu delectari, quamvis desit occasio hanc in luce hominum ostendendi, vs. 41, 42. Deinde denuo queritur, immeritum se a fortuna male habitum esse, quippe qui, cum olim optasset ut longa sibi foret vita, jam hujus voti compos senex adversarios suos, servilis indolis homines, sibi videret praeferri, vs. 43-45. Sed et denuo suae indolis praestantissimae sensu sese erigit atque consolatur, vs. 46, 47. Imo vero incitatior jam fit oratio, cumque suam ante actam vitam sibi repraesentet poëta, alios quosque homines graviter monet, ut suo exemplo sapere discant: nemini enim fidendum esse in tanta hominum perfidia et malignitate, quantam ipse passus esset; neque lenibus verbis istos coërcendos esse, sed poenarum potius severitate, vs. 48-53. Tum vero etiam sperandum non esse ait, si quis magnis honoribus fortunaque secunda sit gravisus juvenis, fore ut ad ultimam usque senectutem iis laetetur; sed eo, quod cuique satis sit, oportere quemvis esse contentum, vs. 54, 55. Atque sic quidem sedatis paulatim, quibus valde quassabatur, affectionibus, tandem ad serenam quandam aequabilitatem redit animus; et perspecta rerum humanarum inconstantia Tograjus, neque divitiarum splendori, neque doctrinae honori, neque munerum dignitati fidendum, sed in hoc videt acquiescendum esse, ut eo, quod satis est, hilari quisque animo fruatur; hanc enim veram hominis dignitatem, hanc solertiam summam, hanc unicam esse tutam felicissimamque possessionem, si quis sibi ipse sufficiat, vs. 56-59.



CAPUT ALTERUM.

DE CARMINIS DOTIBUS AC VIRTUTIBUS AD POËSEOS ARABICAE INDOLEM EXIGENDIS.



§. I.

Carminis nomina et genus. Ejusdem dijudicandi ratio.

Vocatur praecipuum Tograji carmen قصيدة *poëma diligenter elaboratum*, vel simpliciter *poëma*. Qua appellatione potissimum illud insignitur carminum genus, quod mediocrem habet magnitudinem, quodque varia argumenta recipit, ut laudationes, vituperationes, conquestiones, praecepta, amores. Nobilitatum autem est septem illis carminibus *Moallakat*, quae in templo olim suspensa Meccano sacram prope venerationem nacta sunt. Est vero huic carminum generi ea lex sancita, ut singuli versus duobus sint distincti articulis sive membris, utque primi versus membra eodem ambo terminentur sono, similiterque desinant reliquorum ad finem usque versuum omnium membra posteriora (1). Quem quidem sonum cum informasset Tograjus per literam *Lam*; hinc ejus carmen nomen accepit لامية *Lamicum*. Cumque plura essent ejusdem nominis poëmata, et in his tria celebriora (2), nostrum hoc inscripserunt قصيدة المعروفة بلامية العجم *Carmen appellatum Lamicum Persicum*, quia poëta, quamvis genere Arabs, in Persia tamen plerumque vixerat fueratque in Persicorum aula Sultanorum versatus. Pertinet autem nostrum hoc carmen ad recentiorem poëseos Arabicae aetatem, qua ope-

(1) Conf. Jones de Poësi Asiatica, C. III.

(2) Conf. d'Herbelot p. 511.

operosius quoddam in carminibus studium observatur magisque artificiosum, quam in antiquiori poësi.

Et multa quidem in hoc Tograji poëmate pulcra sunt, eademque ita comparata, ut unicuique, quamvis poëseos Arabicae imperito, placeant. Ita eximium est carminis exordium, et, ut Pindarus vocat, πρόσωπον τηλαυγὲς, *frons longe splendens* (1). Solet hoc enim laudari in poëtis, si non frigida historiae sive potius chronologiae ratione omnia a primis inde initiis repetant, sed in mediam te rem rapiant, et quae antea acciderint, tum demum narrent, quum praesentium rerum gravitas praeteritarum cognoscendarum studio te incenderit. Pariter Tograjus, idque egregie. Namque statim: Animi fortitudine obfirmatus, inquit, nulla equidem re potui quassari! Quod cum dixisset primum, postea demum explicat, quonam in rerum turbine et fortunae infelicitate diu versatus, calamitatibus omnibus fortiter restitisset. Qui carminis ingressus, uti pulcer aedificii aditus, magnum reliquis partibus decus conciliat. Sed nolo plura hujusmodi enumerare, quae possint ad universam pulcri speciem exigi. Ex Arabicae poëseos ratione unice judicandum est carmen Arabicum. Quam ob rem malo et orationis formam universis poëtis Arabibus propriam contemplari, et sensus, mores, affectiones omnemque Arabicae poëseos veluti materiam. In quo si observaverimus, quomodo, formae maxime ratione habita, ab antiquioribus diversi sint poëtae recentiores, tuto licebit cum his comparare Tograjum.

§. 2.

In poëseos Arabicae forma universe phantasiae vis, affectionum vehementia, et judicium cernitur minus explicitum.

Poësin si cum eloquentia compares aut philosophia, exquisitiorem in hac utraque ratiocinandi judicandique solertiam videbis, in illa phantasiae affectionumque vim insigniorem. Quare prius nata est poësis; maturioris demum ingenii, rationisque magis excultae progenies eloquentia fuit et philosophia. Haec

(1) Olymp. VI. vs. 4, 5.

Haec in universa generis humani historia facile observentur. Quodsi vero singulas animadvertas gentes ipsas, non multo minus perspicuum est, phantasiae vigore et affectuum vehementia Graecis reliquisque Europae gentibus superiores esse Orientales, inferiores vero judicii acumine rationisque. Nam, quae vere dicatur, eloquentia, ut et cultior illa atque dialectica philosophia, quae maturius quoddam judicium spirat, in Graecia patriam habuerunt, non in Oriente. Orientales contra homines phantasiae monumenta produxerunt stupenda (1). In eorum templis reliquisque artium monumentis non eam cernas harmoniam, quae ad judicii severitatem sit exigenda, sed hunc videas partium omnium consensum, qui cum phantasiae fervore et affectionum ardore convenit. Quam ob rem ea etiam, quae cum ad moralem tum ad reliquam philosophiam pertinent, saepe in Orientalium gentium scriptis poëtice tractantur, et, nisi carminibus contenta sint, tamen sub oculorum veluti sensum revocantur atque imaginibus ipsis et tota orationis forma poëseos referunt colorem: ut hactenus Orientales dici possint ποιητικώτατοι.

Eandem ego rationem in universa poësi et Hebraica, et ipsa, de qua nunc sola loquor, Arabica animadvertisse mihi videor. Et quae cuicunque poësi propria sunt, affectionum vehementia, judicium minus excultum et phantasiae fervor, haec tria in Arabicis carminibus ita mihi videntur dominari, ut paria apud reliquas gentes non Orientales frustra quaerantur, utque Arabicae poëseos speciem omnem et veluti characterem efficiant. Nec mirum. His ipsis indiciis a reliquarum gentium indole ingenium distinguitur Orientale. Cujus ergo ingenii rationem si in caeteris Orientalium artibus, magis quam reliquarum gentium, expressam videas, necessario hujus indolis tanquam matris suae effigiem refert poësis, quae ei recipiendae per se omnium maxime est accommodata.

Et primum quidem insignis illustrisque in Arabum carminibus cernitur ea facultas, quae nobis phantasia vocari solet.

Itaque saepe poëtae totos sese in res depingendas animo transferunt, earumque effigiem interdum similitudinibus ac singulis paene verbis ita in oratione exprimunt, ut eo ipso tempore res illas rerumque adjuncta unice videre atque

(1) Conf. Cl. Willmet Orat. de pulcri sensu Arabum p. 37.

que audire videantur iisdemque intime moveri. Ita heroum fortitudinem descripturus poëta eos cum ensibus comparat, quibus ipsi erant ornati, fulminis instar splendentibus (1). Et Ibn Doreidus de vino vetere cogitans: *Hanc ego*, inquit, *amo virginem octoginta annorum*, *quae noctes seniles exhilarat*. Videbat scilicet pulcras virgines, quas amare ipsum non deceret senem (2). Idemque, in mediis versatus camelis, noctis tenebras terrae incumbentes comparat camelo, omni sua mole humi decumbenti (3).

Universis vero etiam imaginum luminibus et comparationum delectantur Arabes mirifice, neque quicquam in rerum natura videndo audiendoque perceperunt, quod non aut ad res animo intellectas illustrandas, aut ad reliquas etiam ornandas adhibeant. Neque ab his tantum sensibus acrioribus imagines petunt, sed et tam frequenter a gustandi odorandique sensu similitudines capiunt, ut perquam eos delectatos fuisse agnoscas mellis, vini, aromatum saporibus, et thuris odoribus unguentorumque, quibuscum virtutis adeo praestantiam suavitatemque comparant (4).

Saepe autem plures, quam verecundum nobis videatur, similitudines coacervantur. Ita vir aliquis praestantissimus similis dicitur et soli qui foveat omnia, et umbrae quae recreet, et uvarum abundantiae quae exhilaret mentes, et juveni coram suis nigra coma formoso et coram hostibus lupo horrido; illis praeterea mellis instar suavis, his acerbus prout absinthium (5). Imo iis orationis gemmis floribusque adeo referta est poësis, ut summo jure eam comparet Ibn Doreidus cum *floribus hortorum* (6), et ad carminum compositionem significandam utantur Arabes voce نظم, quae *margaritas una serie conjunctas* designat.

In lingua ipsa Arabum fervidam gentis phantasiam esse vel hoc docet (7), quod

(1) Excerpta Hamasae p. 430. vs. 15.
(2) Carminis vs. 222.
(3) Ibid. vs. 195.
(4) Vid. Jones de Poës. Asiat. C. VI.
(5) Excerpt. Ham. p. 424 sqq. vs. 7 - 12.
(6) Carminis vs. 226.
(7) Linguam Arabum poëticam esse ostendit Cl. Willmet in Orat. de sensu pulcri Arabum p. 13.

quod frequentissime simile aliquod ponitur pro re ipsa, quae cum eo comparari possit, unde elegans illa translatio in voce بكر, quae peculiariter dicitur de *margarita, primum effissa e concha*, transfertur autem ad significandam *virginem intactam*. Pariter apud poëtas frequens est ac solenne, ut simile ponatur pro re assimilata, et *leones* dicantur pro hostibus, et *dorcades* pro puellis, quasi una ducti phantasia nihil aliud in hostibus conspicerent, quam illas ipsas saevientis leonis attributiones, et hanc unam in puellis amarent formosissimae dorcadis speciem (1).

Quae cum tantae sint rerum externarum impulsiones in Arabum animos, fieri aliter non potest, quin omnia ad sensus ipsos admoveantur, et ea etiam, quae cernere non possimus, ponantur paene in conspectu oculorum. In quo etiam mira est linguae et poëseos consensio, ut easdem saepe imagines in poëtarum dictis et linguae ipsius vocabulis invenias. Sic in Corano, qui multas habet similitudines poëticas, ait Mohammedes: *Corda nonnullorum auresque impresso sigillo clausit, oculisque Deus velum imposuit* (2). Quod quam facile de insipientibus hominibus dici potuerit et quasi surdis coecisque, ipsum docet verbum صمّ quod, propriam *obturandi* notionem habens, deinde de eo dicitur qui *surdus est*, et عمي quod *involvendo tegere* significat, diciturque de *coeco* homine et *insipienti*. Et ut in linguis Orientalibus *nasus* pro ira, *viscera* pro miseratione dicuntur, ita poëtae Arabes animi affectiones paene semper ita describunt, ut earum vim in corpore conspicuam sub adspectum paene subjiciant, et moerore *angi praefocarique guttur* (3), dolore *ut cultris ossa rodi* (4), tristitia *in lacrymas effundi oculos* (5), furore *dentes* dicant *nudari*, *contractis labiis* (6).

Verum dubito equidem, possitne ulla in re magis perspici, quantopere phantasia ducantur poëtae Arabes, quam in hoc, quod notissimum est, vitam

(1) Conf. Cl. Pareau Comment. Jobea p. 343. sqq.

(2) C. II. vs. 6. Eandem imaginem de lupis adhibet Ibn Dor. vs. 201., qui, cum neminis misereantur, *aures* habere dicuntur *obturatas*.

(3) Ibn Dor. vs. 10.

(4) Id. vs. 21.

(5) Id. vs. 11.

(6) Antara Moal. vs. 53, 62.

tam ab iis animamque et formam humanam rebus omnibus tribui; sic hastae fortitudinem, stellis oculos, soli lunaeque consilia humana, humanam voluntatem animalibus affingi; fortunam vero ipsam mortemque tanquam personas induci aut etiam describi loquentes. Quae omnia si in quarumcunque gentium poësi conspiciantur et suam demum carminibus vitam afferant vigoremque; ita tamen Orientalibus poëtis et his ipsis Arabicis propria sunt, ut haec vel praecipue eam efficiant poëtarum Orientalium audaciam, Europaeorum hominum verecundiori judicio minus interdum probatam. Itaque solenne hoc est Arabibus, ut nobilitatem fortitudinemque sibi fingant tanquam hominum duces, vel adhortatrices gravi voce monentes, vel etiam in bello desertisve cum iis peregrinantes comites. Imo vero poëta Arabs carceri inclusus quum cogitaret amatam cum peregrinantium caterva abeuntem: *Corpus meum*, inquit, *Meccae vinctum detinetur, sed amor meus cum Jemanensi caterva camelum una conscendit amataeque ad latus assidet* (1). Sed ulterius etiam procedunt Arabes. Mutam illam inanimatamque naturam ita sibi fingunt humanae naturae simillimam, ut ex illa exempla interdum ducant ad se aliosve homines consolandos moresve regundos. Ita poëta, quo sese ad peregrinandum excitaret: *Dixi*, inquit, *nisi esset in itineribus utilitas, neque sol vellet iter facere per signa coelestia* (2). Scilicet Arabes totam hanc naturam non tanquam inanimatam et machinis similem, sed vitae plenam sibi fingunt, plenam vigoris, et virium plenam sensusque, omnia moventis animantisque et late per omnes partes diffusi, ut singulae res singulis veluti mentibus consiliisque regi videantur.

Ad aliam poëseos Arabicae proprietatem progrediendum esset, nisi antea unum restaret, in quo phantasiae summam videas audaciam, Orientalibus poëtis propriam. Interdum enim apud eos paucis verbis comprehenduntur tales similitudines, quales nobis videantur ampliori quadam oratione fuisse explanandae, qualesque si in animo habuisset Graecus aliquis poëta, eas non uno quodam versu conclusisset, sed tota fortassis aliqua fabula narranda explicuisset. Ita poëta Hebraeus impios dicit *ovium instar a morte in orcum ab-*

ac-

(1) Exc. Ham. p. 340. vs. 1.
(2) Vid. apud Pocockium ad Tograji carmen. vs. 36.

actos (1): quo audito Mercurii nobis fabula subit, qui *virga animas sub Tartara tristia mittit* (2). Quamquam illud fabula non est, sed simplex quaedam comparatio a vita pastorum petita. Pariter in Jobi carmine, Arabicae poësi simillimo, ii, qui moriuntur, dicuntur *funibus solutis tentorii paxilla evellere* (3). Quae imago a pastoribus iter instituentibus ducta, fabulam nobis repraesentat, qua Graeci hominem morientem sibi fingebant tanquam peregrinatorem in beatorum insulas aut malorum sedes iter facientem. Apud Tograjum autem similis quaedam occurrit comparatio, paucis verbis contenta, quae toti cuidam fabulae fingendae materiem praebeat (4). Verum hunc locum postea in ipsa carminis expositione explanabo, ibique periculum faciam ejusmodi dictionum ita explicandarum, ut et placere nobis possint et omnis earum vis sentiri. Nunc unum hoc observo, ejusmodi loca non ex nostro sensu esse judicanda, neque plane rejiciendas esse ejusmodi imagines tanquam duriores, sed exponendas potius et latius explicandas, ut nobis lento magis et quasi circumspicienti prudentique ingenio praeditis placere ea possint, quae in fervida Orientalium phantasia subito oriri, et uno quasi obtutu perspici ab iis unoque temporis momento effingi poterant.

Sed de phantasia satis dictum est. Alterum, quod in universa poësi Arabica observandum duco, hoc est, judicium in ea conspici minus explicitum ratiocinandique facultatem parum provectam.

Et haec quidem poëseos proprietas cum antecedenti proxime juncta est, ut saepe etiam iisdem in rebus utraque observari possit. Nam cum copia imaginum et audacia phantasiam arguat ferventem, cumque illa rerum intelligibilium sub sensibus subjectio plane a phantasia proficiscatur, habent tamen eadem cum judicii natura arctissimam conjunctionem. Etenim quo minus gens aliqua ad philosophiae acumen processerit, eo magis translatis utitur verbis; contra quo magis ad judicii maturitatem accedat, eo quoque imagines adhibet

et

(1) Psalm. XLIX. 15.
(2) Virgilius Aen. IV. vs. 242 sq.
(3) Cap. IV. 21.
(4) Carminis vs. 12.

et simpliciores et rariores: atque hoc ipso a poësi maxime distinguitur eloquentia, quae ut in populi deliberationibus et coram judicibus primum apud Graecos audita est, ita ratiocinandi judicandique facultate poësi antecellit.

Est ergo hujus ipsius eloquentiae dos quaedam praecipua in ratiocinationum longiorum bonitate aptoque singularum partium vinculo: et quo magis explicito sit judicio gens aliqua ingenioque magis philosophico, eo magis illa ratiocinandi subtilitas in ipsam ejus poësin redundat. Ita vero comparatum non est Arabum ingenium. Ipsam linguae Arabicae rationem grammaticam contemplantibus mirum accidit, quam saepe verbis verba apponantur parum definitis vinculis conjuncta. Atque in omni eorum dicendi ratione scribendique breves plerumque et dissolutae conspiciuntur sententiae, una saepe copula indefinita maximeque consueta coacervatae, caeterum vero vix ullis verbis conglutinatae, nedum orbem quendam conficientes aut circuitum ampliorem (1). Eadem vero poëseos ratio est, in qua et durior saepe fit transitus ab alia re ad aliam, et longior a proposito digressio, et subitus ad id reditus; et vero oratio tota non uno quodam eoque haud interrupto flumine prolabitur, sed separatis quibusdam sententiis, tanquam fluctibus sibi invicem succedentibus, proruit: ut, quamvis id immerito diceretur, tamen, si verba sola orationisque formam unam spectes, facile posset existimari omne his carminibus aptum deesse vinculum, universa connectens, singulisque partibus gratiam venustatemque concilians; atque adeo singulorum in iis dictorum pulcritudinem haberi, conjunctorum harmoniam et universorum concentum non haberi. Et vero haec res neque miranda est; plus enim ad id limati politique et subtilis judicii, plus etiam sedati per rationem animi requiritur, quam est in hominibus Orientalibus: neque etiam vituperanda; in eloquentia enim merito flagites subtile quoddam singulorum vinculum et verbis diligenter expressum, in poësi non item.

Neque tamen existimandum est, omnem judicii laudem Arabibus esse denegandam. Ubivis in eorum poësi acumen animadvertimus, quale judicii primum sese exserentis esse solet: idque in universa observatur orationis forma. Omni aevo delectati sunt Orientales aenigmatibus. Nec mirum: delectant haec quos-

(1) Observavit hoc Pocock Spec. Hist. Arab. p. 162.

F

quoscunque et populos et homines, qui ad philosophiae cultum nondum processerunt; haec acuunt judicium; cumque ipsa animi propensione ad diutius meditandum acriusque investigandum non ferantur homines, haec admirationem suscitant, ipsaque orationis obscuritate animi movent attentionem. Uti autem poëtae Arabes interdum aenigmatice loquuntur, ita et diversis oppositisque rebus per antithesin conjungendis et reliquis dicendi formis stylum universum sibi informant perquam acutum. Nam quod modo dixi, brevibus et separatis sententiis omnem paene orationem poëticam absolvi, id ita plerumque comparatum est, ut singula acute sint dicta et fere sonent sententiose. *Duo sunt*, inquiunt hostes cum clamore minisque irruentes, *duo sunt; alterutrum certo est vobis eligendum; hastarum cuspides aut catenae! Vobis*, respondet cohors, *vobis erit eligendum, postquam vos ita prostraverimus, ut surgere nequeatis* (1). Atque hoc totius orationis acumen tantum est, ut, si breviora sint carmina, interdum formam plane referant epigrammatum (2).

Haec cum sit poëseos oratio, non aequabiliter profluens, sed epigrammaticae dictioni similior ac plane sententiosa; hinc mihi aliquid explicandum videtur, quod in carminibus Arabicis est frequentissimum, et in quo pariter primum sese explicantis judicii cernitur acumen. Namque si verba leviter commutata ponuntur, aut in contrariis rebus eaedem, aut parum diversae repetuntur voces, aut si plurium vocabulorum ab initio vel in fine iidem sint similesve soni, aut si eadem, mutato sensu, verba iterantur: hae paronomasiae ingenii quaedam veluti lusiones videntur, eaeque in seria poësi et gravi habeantur quaesitae et frigidae et quoddam aucupium delectationis. Quod ergo cum saepissime occurrat apud Arabes, censeatur facile damnandum, tanquam a naturae simplicitate alienum, et puerile quoddam depravati judicii aut ingenii deflorescentis artificium. Et vero quaesitae sunt, fateor, illae venustates in simplici et continuato quodam sermone, atque in aequabili cursu et velut flumine orationis non delectant, sed tanquam scopuli offendunt. Verum, ne dicam, sexcenties ea audiri in familiaribus colloquiis et vulgi sermonibus, un-

(1) Exc. Ham. p. 332, 334.
(2) Exemplo sit carmen ibid. p. 349 sqq. exhibitum.

unde intelligas naturae esse judicio comprobata; neve addam, saepe hac vocum affinitate sonorumque eorundem iteratione melius animi sensa exprimi, quam longa quadam verborum serie (1); unum nunc observo, idque ad poëseos Arabicae naturam intelligendam unice comparatum. Placet ille verborum delectus in brevibus dictis: proverbia multa sine hoc vix ullam apud vulgus auctoritatem habeant; praecipua vero quaedam lumina hinc accedunt epigrammatibus. Est autem, uti diximus, poëtica Arabum oratio non continua et aequabiliter profluens, sed brevi atque concisae epigrammatum dictioni similior et tota sententiosae orationis habitu conspicua. Sunt praeterea in eorum carminibus plurimae, quae vere dicantur, sententiae morales atque proverbia. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit, cur haec lumina, quamvis in Graecorum Romanorumque scriptis non plane desiderentur (2), horum tamen poësi minus congrua sint, cultissimorum contra et Hebraeorum carmina et Arabum scripta saepe illustrent. Fateamur potius, eximium in his perspici judicii, non maturi quidem, sed tamen magis magisque sese exserentis, acumen. Quare Salomo, qui certe aequalibus judicio multum praestabat, in sententiis suis frequentavit haec lumina orationis, effecitque his ipsis velut verborum aculeis, ut sapientiae monita penetrarent in mentes altius et animis tenacius inhaererent (3).

Diximus de orationis forma, quae ingenium referat judicii rationisque vires paulatim explicans. Esse autem hujusmodi hanc formam externam orationis, nemo mirabitur, qui animadverterit, idem hoc acumen in notionibus ipsis sentiri, et in mentis etiam cogitationibus, quae illa orationis forma exprimuntur. Etenim graviter saepe in inimicos invehuntur poëtae Arabes, et acriter eos perstringunt, quasque ab iis bello factisve acerbas acceperunt inju-

(1) Cicero, qui ipse interdum hoc genere dicendi delectatur, commendavit id quoque oratoribus, de Orat. III. Cap. 54. Orat. Cap. 39.

(2) Observari possit, saepius his luminibus usum esse Ennium, cujus poësis prae caeteris videtur fuisse sententiosa. Caeterum de hac cum Arabum Hebraeorumque tum Graecorum et Romanorum consuetudine vid. Glassius Phil. Sacra p. 1335 edit. Dath. et Verschuir in Dissertt. Phil. Exeg. p. 172-182.

(3) Conf. Cl. Muntinghe *de Spreuken van Salomo* Prolegom. p. 50 sqq.

jurias, dictorum saepe acerbitate et satirico acumine rependunt. Ut affirmare non dubitet poëta Arabs, *pessima esse carmina, quae aculeis careant* (1). Sed et gratius nobis accidit et longe evidentius documentum hujus acuminis in ipsis illis proverbiis sententiisque moralibus, quas paulo ante verbo memoravimus, in poësi Arabica celebratissimis. Namque fuit saepe observatum, multo frequentius proverbia audiri in vulgi colloquiis, quam in eruditorum doctorumque hominum sermonibus, eorum vero et minui copiam et obscurari auctoritatem, si tum reliqua ratiocinandi peritia, tum philosophiae maxime moralis cognitio in gente aliqua invalescat. Nec mirum. Dici enim proverbia possunt thesauri, qui omnem fere totius gentis alicujus sapientiam teneant reconditam, donec aliquando maturioris judicii acies in res quascunque altius penetret, easque in pleniorem clarioremque protrahat philosophiae lucem. Quae cum ita sint, concedendum est, in poësi Arabica non talem cerni judicii subtilitatem rationisque perfectionem, qualis omnia diligenti aptoque ratiocinationum verborumque nexu complectatur; sed et laudandum in eadem poësi judicii Orientalis acumen, quippe quae et acute dictis abundet, et vero iis uberrima sit proverbiis sententiisque, quae apud Orientales et in civilibus rebus regnant, et in moralibus praecipiunt, et in ipsa religione sanctissime coluntur.

Tertia restat consideranda universae poëseos Arabicae proprietas in sensuum vigore posita et in affectionum vehementia. Quae quidem qualis sit, ex antiquiorum maxime poëtarum Arabum carminibus potest intelligi. Illi enim non argumentum quoddam sibi tractandum eligebant consulto, neque etiam historice res suas carmine narrabant; sed si qua re essent affecti vehementer, his affectibus sensibusque impellebantur, ut in verba erumperent versusque de pleno pectore funderent. *Diluam profecto istud probrum, redundent licet in me per voluntatem divinam quaecunque tandem redundent* (2): ita carmen suum incipit poëta, cujus consanguineus a fortiori quadam tribu erat occisus. Uti autem in his non rem ipsam, quae sibi accidisset, historice enarrat

(1) Exc. Ham. p. 526. vs. 3.
(2) Ibid. p. 354 sqq.

rat, sed animum exprimit hac summa ignominia vehementissime affectum, nec quiescentem antequam caedem illam acriter vindicasset; ita et eodem modo in toto carmine pergit, et quam primum effuderit animi sensus, desinit. Neque vero existimandum est, solas has asperiores gravioresque affectiones tantam apud Arabes vehementiam habere. Habet et ipse amor; atque dulcissimam cogitans puellam: *Nescio*, inquit poëta, *morbusne me aliquis invaserit ex tui amore*, *an vero incantamentum* (1).

Quae cum sit poëtarum Arabum indoles, hunc sensuum vigorem et affectionum aestum in forma ipsa orationis tanquam in speculo contemplari licet. Et vero quod oratio ipsa minus diligenti judicio concinnata sit, id ex nulla alia causa proficiscitur, nisi ex ipsa illa affectionum vehementia. Atque eadem haec ignea animi vis efficit, ut in summum ardorem atque audaciam inflammetur phantasia. Quare mirum non est, si in rebus quibusvis describendis ita animo sese in illas transferant totos, ut eo ipso tempore oculis eas auribusque haurire videantur: quippe hae intime eos affecerunt totumque animum et sensus omnes occuparunt.

Sed ex eodem fonte multa praeterea repetenda sunt alia et complures dicendi formae, Arabibus poëtis propriae. Ita saepe illis prae affectu accidit, ut de re quadam aut homine aliquo loquantur, nec tamen verbis eum designent. *Illam vidi*, ait poëta, *noctu illam vidi lucida specie adventantem*, *atque obstupui* (2); nec tamen dilectissimam puellam verbis ipsis nominat, quippe quam animo unam cogitaret. Pariterque saepissime et homines quosdam, etiam absentes, subito alloquuntur, et si quos allocuti fuerint, ad reliquam orationem persequendam derepente redeunt, nullis verborum indiciis mutatam conversamve orationis seriem significantes (3).

Verum cum de affectionibus agamus, omnium minime praetermittendae sunt frequentes verborum eorumdem vel similium repetitiones, gravitatem orationi et pondus afferentes. Nam in laetis rebus verba eadem decies repetita placebunt, dolentibus vero nihil contingit suavius, quam doloris causam iterum

(1) Exc. Ham. p. 350.
(2) Ibid. p. 340. vs. 2.
(3) Exempla sunt in Amralkeizi Moall. vs. 6 sqq. vs. 19 sqq.

rum iterumque repetere loquendo, et quicquid tandem ament homines vel aversentur, aut quomodocunque vehementer sint affecti, id et affirmando et contrarium negando et digrediendo redeundoque ita amplificant oratione, ut sensus animi eosdem semper recurrentes in verbis audire tibi videaris. Hinc est, quod verba eadem saepe iterantur, ut in hoc: *Irruimus prout leo irruit, leo rabidus* (1). Hinc vero maxime derivandus est ille, uti vocari solet, sententiarum parallelismus, qui quamvis longe frequentior sit in Hebraicis carminibus, tamen in Arabicis interdum etiam auditur (2). Quo parallelismo non quaedam plerumque vocabula eadem iterantur, sed integrae sententiae vel pares paribus, vel similibus referuntur similes, vel contrariae contrariis; ut in duas partes distincti sint versus, et in utroque hoc membro verba verbis saepe quasi demensa et paria respondeant, concinnitatemque et concentum quemdam efficiant. Atque hoc quidem orationis genus quantum disstet a jejuna ac frigida verborum repetitione, et quam vere dicatur naturae quadam necessitate ex affectionum vehementia ortum esse, nunquam ego melius persensi, quam legendo miserrimi vehementissimeque commoti Jobi sermone. Hic enim cum et accusationum gravissimarum molem et calamitatum totiusque naturae impetum sustinuisset, et incredibili patientia diutissime tacuisset, tandem in hanc vocem erupit: Utinam aut mortuus essem, aut nunquam natus! Quae gravissima vox, omnes et cogitationes mentis et animi sensus occupans, non tantum parallela in singulis versibus membra peperit, sed et sententiam eandem vocibus variis saepissime continenterque repetitam et per integros quatuordecim versus continuum quemdam parallelismum (3): ut in illo sermone querelam eandem animo assidue revolutam, hujusque vocis veluti ex omnibus animi recessibus undique resonantem imaginem audire tibi videaris.

Antea dixi, parum saepe cohaerentem esse poëtarum Arabum orationem, et

(1) Exc. Ham. p. 320. Conf. commentatoris Arabici annotatio versui 5. adjecta p. 320, 321.

(2) Exempla in antiquioribus poëtis videas Exc. Ham. p. 312 vs. 6. p. 326 vs. 3. p. 356 vs. 6. p. 358 vs. 8, 9. alibi. Conf. p. 424 sqq. vs. 7-12.

(3) Vid. Job. III. 3-16.

et diligenti verborum vinculo rarissime conjunctam. Atque est profecto difficile inventu interdum hoc singulorum dictorum in Arabum reliquorumque Orientalium carminibus, vinculum. Ast idem tamen negavi, nullam esse singularum partium conjunctionem, aut universorum carminum concinnitatem. Quod utrumque dictum quomodo conciliari possit, et quaenam intelligenda sit haec poëmatum Arabicorum concinnitas, nunc plane poterit perspici. Etenim ab animi affectionibus tota pendet poësis Arabica. Partium autem in carminibus vinculum non tam in ipsa oratione quaerendum est, quam in dicentis animo; non in verbis certo quodam ordine compositis et judicii acumine copulatis versuum conjunctio cernitur, sed in ipsis potius sensibus animi atque affectionibus, quae suis quibusdam et naturae limitibus continentur et ipsa commoti animi certa definitaque conditione copulantur, quamtumvis dissoluta sit oratio ac vagetur. Haec ratio saepe in Pindari odis, in Tragicorum choris, in carminibus Horatii observatur: quare in his quoque et audaciores saepe fiunt transitus et digressiones longiores et laxiora parumque definita sunt singularum partium vincula. Quod ergo cum feratur in his poëtis propter vehementem animi, qua erant, commotionem, idem de Arabibus censendum est, qui lyricis plerumque quam epicis sunt similiores. Et vero alia submissae, alia elatae et lyricae et hujus Orientalis poëseos concinnitas est. Poëtae autem Arabes, uti jam dixi, quando de se rebusque suis canunt, hasce res non a capite quasi ad calcem singulas deinceps persequuntur, nec totam earum formam figuramque describunt, quod historicorum est, singula rerum membra ad concinnum quoddam corpus redigentium. Illi contra prouti rebus quibusvis afficiuntur animo, ita affectus suos sensusque exprimunt, et hos alios aliis succedentes sententiis declarant singulis, solutisque neque ullo alio conjunctis vinculo, nisi quod ipse constituit animus vehementer affectus. Ut paucis dicam, non fortunae externaeque conditionis speciem describunt, sed animi; non rerum suarum, sed sui imaginem carmine exprimunt. Cujus adeo imaginis concinnitatem si judicare velis, non externa verborum conjunctio spectanda est, sed interna cogitationum affectionumque animi.

§. 3.

§. 3.

In universa Arabum oratione poëtica et gentis conspicitur indoles et vero ipsa naturae observatur simplicitas.

In his omnibus, quae de orationis poëticae ratione diximus, ipsa conspicitur gentis Arabicae indoles, qualis ab antiquissimis inde temporibus fuit. Quantus enim in eorum moribus observetur phantasiae ardor, quantus affectionum aestus, postea ostendemus. Judicium vero ipsum tam parum literis apud eos excultum fuit ante Mohammedem, ut hic in Corano suo Judaeos Christianosque *librorum* appellans *possessores*, hoc eos nomine ab Arabibus distinguat, quippe quae gens esset illiterata (1). Imagines vero ipsae frequentes armorum, leonum, camelorum, deserti, et regionem gentis veluti conspiciendam praebent et vero sentienda animo ejusdem studia deliciasque. Atque uti illis in deserto saepe vagantibus nil accidere potest limpido fonte suavius: ita eorum poëtae felicitatis in hac terra descriptionem absolvunt *horti* imagine *laete florentis beneque irrigati* (2): et beatorum in coelis sedem solenni nomine *hortos* vocat Mohammedes, *fluminibus irriguos.*

Quamvis autem in his singularem gentis Arabicae indolem veluti depictam videre liceat, universe tamen in hac poësi eam conspicias naturae simplicitatem, quae Arabibus est cum Hebraeis reliquisque Orientalibus communis: qua ipsa hi propriam quandam delectationem habent et amabilitatem. Itaque saepius jam observavimus easdem illas, quae in poësi apparerent, proprietates in ipsa etiam lingua conspicuas esse. Et vero uti in Arabica poësi omnia oculorum auriumque sensui proxime admoventur, ita in ipsis linguarum cum Orientalium, tum reliquarum originibus indagandis, id est in contemplanda genuina simplicissimae naturae effigie, verborum omnium notiones videas a sensibus esse ductas. In linguis vero Orientalibus id singulare est, quod, si affectu magno ducantur, aut si quacunque de causa summam vel copiam rerum vel magnitudinem significare velint, pro *plurimo* subinde dicant *multum mul-*

(1) Ita Pocock Sp. Hist. Arab. p. 156.
(2) Ibn Dor. vs. 4, 17.

multum, et pro *pessimo* efferant *malum malum*, aut vocibus variis *clementem misericordem* pro *clementissimo*. Qua verborum repetitione quid, quaeso, cogitari simplicius potest? Quid vero etiam magis consentiens cum illo poëtarum more, quo, si qua re vehementer sint affecti, id vel verborum repetitione vel parallelismo exprimant, id est gravi ejusdem sententiae iteratione.

Atque simplex haec naturae ratio tantopere per omnem poësin diffusa est, ut saepius ad hanc explicandam puerorum cogitandi loquendique consuetudo sit attendenda. Uti enim pueri verba verbis, dicta dictis adjiciunt et coacervant, de iisdem conjungendis copulandisque parum solliciti, ita et Arabes orationis forma parum ligata et verborum atque particularum vinculis soluta utuntur. Eosdem vero pueros audias, si canes designare velint, appellare *latrantes* illos; et alios animantes vocant *boantes*, *hinnientes*. In quo simplicissimam animadvertas inter mortales loquendi rationem, qua singulas res denominant ab attributione aliqua quae oculorum auriumve sensum maxime feriat. Idem autem in lingua Arabum observatur. Ex quo factum est, ut rebus iis, quibus prae caeteris delectarentur, tot sint tributa nomina, quot earum observarentur attributiones; quare quingentae adeo leonum appellationes, quae proprie nomina adjectiva sunt, sed tanquam substantiva adhibita, mellis autem octoginta nomina, ensium plus quam mille numerantur (1). Illud vero ipsum in poësi Arabica frequentissimum est, ut, si qua rei cujusdam proprietate poëtae delectentur impensius, adjectivis utantur pro substantivis, et hastas non proprio suo nomine appellent, sed *fuscas illas* vocent *atque directas* (2), et *candidas* (3) dicant, id est virgines, aut *candidam in latibulo* (4), id est puellam domi seclusam.

Eadem puerorum similitudo in ipso etiam imaginum delectu observari possit. Namque ut gemmis, auro, argento, unguentis rebusque omnibus, quae sensus acriter afficiunt, solent delectari pueri; ita iisdem suavitatem suis carmi-

(1) Pocock Sp. Hist. Arab. p. 153.
(2) Exc. Ham. p. 348.
(3) Ibn. Dor. vs. 220.
(4) Amralk. Moal. vs. 23. Conf. doct. Menil ad Antaram p. 26.

minibus conciliant Arabes atque splendorem. Et quod minime negligendum est, uti pueri animalibus impense delectantur, cumque iis loquuntur, tanquam sui simillimis, ita Arabes poëtae equos camelosve vocant comites suos eosque secum laetantes dolentesve fingunt aut etiam ad se loquentes. Imo vero cum apud Graecos Latinosque ea plerumque intelligatur prosopopoeia, qua hominum persona rebus inanimatis tribuatur, apud Arabes saepissime eaedem hae et forma praeditae finguntur et affectionibus animalium: ut fortuna dulcem aut acerbam sortem hominibus praebens *camelus* quaedam videatur, *alterutra mamma eos lactans* (1); calamitas autem *nudatis dentibus irruens* appareat, leoni similis irato (2).

Sed nolo plura enumerare, quae ad hanc simplicem naturae rationem et puerorum ingenio simillimam in poësi Arabica ostendendam facere possint. Etenim hanc naturae simplicitatem ipsae universae carminum Arabicorum proprietates declarant, in affectionum vehementia, phantasiae ardore judicioque minus explicito conspicuae, quippe quae ipsam referant puerorum indolem, qui nec judicio moderatam phantasiam habent, neque animi affectiones ratione temperatas: in quo quamvis maturi ingenii perfectionem desideremus, simplicem tamen et non fucatum amamus naturae candorem.

§. 4.

Antiquioris et recentioris poëseos Arabicae discrimen. Tograji inter recentiores poëtas praestantia.

Quae hactenus consideravimus, universae nobis poëseos Arabicae speciem quodammodo exhibent: quam intuentes, ad ejus normam aeque dijudicare poterimus Tograji carmen, in quo singularum rerum, quas enumeravimus, exempla occurrunt. Quodsi ergo antiqua illa aetate vixisset Tograjus, qua solam naturam sequebantur poëtae Arabes, neque artem carminibus adhibebant, in his subsistere liceret. Nunc paucis indicandum est, quasnam recentiori aeta-

ta-

(1) Ibn. Dor. vs. 172.
(2) Exc. Ham. p. 306. vs. 3.

te commutationes poësis subierit, et quosnam novos contraxerit atque a praecedentibus paulum diversos colores.

Et omnium quidem prima Arabum carmina perquam rudia fuisse videntur et brevissima et omni metro destituta. Sed hoc poëseos genus quale fuerit definiri non potest, cum ejusmodi carmina, uti videtur, nulla aevum tulerint (1). Unum hoc moneo, conjici posse, in illis carminibus, non minus quam in carminibus Hebraicis, consuetum quemdam characterem fuisse sententiarum parallelismum. Quod uti ex Hebraicae poëseos similitudine facile suspicari liceat, ita non improbabile mihi propterea videtur, quod postea in longe plerisque carminibus Arabicis versus singuli in duo membra distincti conspiciantur: qui membrorum parallelismus pristinum quemdam sententiarum parallelismum arguit.

Hoc autem genus plane offuscavit alia, eaque et ipsa satis antiqua, poëseos forma, metri cujusdam numeris delectans auresque mulciens. Metro etiam accesserunt soni similiter cadentes in singulorum versuum fine: quorum cum suavitas jam antiquitus, uti videtur, casu percepta esset, hanc delectationem consuetudo confirmavit ac perpetuam reddidit. Eadem vero hac metrica ratione factum est, ut, quamvis in his etiam carminibus minime rarus sit sententiarum parallelismus (2), idem tamen perpetuus esse desierit. Numeris accommodata sunt verba: numerorum quaedam in binis cujusque versus membris placuit proportio. Caeterum haec poëseos forma adeunda est, si germanam velis cognoscere vim poëticam Arabibus propriam. Hac enim usi sunt poëtae, qui nec studio quodam aut labore operosiori carmina sua composuerunt, neque artis ulla habuerunt praecepta, sed ipso naturae impetu ad canendum fuerunt impulsi. Quales ergo equidem maxime spectavi in universa poësi Arabica adumbranda.

Verum cum summo esset in honore poësis, cumque in foro quodam secum invicem quotannis de poëtica laude certamina inirent Arabes, hac festorum opportunitate exstiterunt jam aliquamdiu ante Mohammedem poëtae, qui ipsa delectandi cupiditate et certaminis contentione incitati majorem poësi

(1) Pocock Spec. Hist. Arab. p. 160, 161.

(2) Conf. comm. nostra. p. 46.

si artem afferrent et studium quoddam laboriosius (1). Ex quo carmina nata sunt longiora et diligenter elaborata, omnemque saepe et rerum varietatem et ornamentorum copiam singula complectentia, cum antiquiora illa magis et simplicia fuissent et brevia, neque magna rerum varietate illustria. Et in illo quidem genere poëmata ea, quae *Moallakât* appellantur, primum tenent locum, tantamque nacta sunt celebritatem, ut ad eorum speciem, quippe perfectissimam habitam, deinceps post Mohammedis tempora sese accommodarent poëtae recentiores permulti, in his ipse etiam Tograjus.

Habet autem haec recentior poësis suas laudes, quas in antiquiori illa frustra quaesieris. Et metrum quidem cultius interdum est ac magis exquisitum. Oratio ipsa saepe magis ligata et ad grammaticam diligentiam magis exacta. Sententiae autem ad moralem hominis conditionem et cognoscendam et moderandam magis compositae, ipsam adeo religionem spectantes (2). Et vero rerum quoque illa in uno carmine varietas magnam affert oblectationem. Quam ob rem cultius quoddam ingenium magisque explicitum judicium in his agnoscendum est: ut in hac poëseos historia eandem ingenii Arabici progressionem cernas, quae et in Corani eloquentia observatur, longe excellentiorem, quam antea fuerat, judicii cultum spirante, et in reliquis, quas postea diligenter tractarunt Arabes, disciplinis ipsoque philosophiae studio.

Verum quo magis in gente aliqua ad eloquentiam philosophiamque procedit judicium, eo plerumque minus ad poësin natura ipsa proni sunt animi, deflorescit phantasia, sensuum vigor minuitur, carminibusque insidet species aliqua colorque peregrino ornatu, tamquam fuco, illitus. Itaque haec recentiora Arabum carmina, sensus si spectes et animi commotionem, saepe languent parte aliqua vel minori vel majori, et longiores quasdam habent descriptiones et veluti pictas imagines, ornandi gratia aliunde petitas. Sic Tharapha longissimam habet cameli descriptionem, in qua oculos, nares, collum, dorsum, genas, et inde a cranio ad caudam usque membra singula, adhibitis similitudi-

(1) Vid. Pocock Sp. Hist. Ar. p. 158-161. et Cl. Pareau Comment. de poëmate Ibn Doreidi l. l. p. 107 et 108.

(2) Exemplo sit Ibn Doreid vs. 144-193.

dinibus celebrat (1). Similiter equum describit Amralkeisus (2), camelum Antara (3), Ibn Doreidus vero, ut in uno carmine pulcra quaeque conjungeret, et camelorum et equorum et gladii et postea insuper equi sui imaginem praebuit singulis partibus effictam atque absolutam (4).

Praeterea autem quidquid in antiquis placebat carminibus, id omne studiose collegerunt et ad majorem artem composuerunt recentiores. Quare clausularum in singulis versibus eundem sonum, satis numerose in brevioribus antiquorum carminibus cadentem, in longioribus etiam carminibus retinuerunt, eoque tantopere sunt delectati, ut inde ducerent quod et aliis carminibus et ipsi Tograji poëmati imponerent nomen (5). Verborum etiam in media oratione similiter desinentium frequentia, adjectivorum pro substantivis nimius usus, aenigmatum in medio orationis cursu impedimentum, antithesium studiosior captatio et quaedam venatio in his poëmatibus observatur. Quae omnia artem nimiam et quoddam aucupium delectationis produnt. Imagines autem ipsae longius interdum petuntur et insolentius transferuntur. Magis etiam, quam verecundum est, coarcervantur similitudines: quod quidem propterea maxime in vitio ponendum est, quia non raro eaedem latius explicantur et exponuntur operosius (6). Sic Antara, osculi suavitatem cum prati intacti fragrantia comparans, hoc ipso prato describendo tam diu occupatur, ut prae hac delectatione illam dulcedinem ipse plane oblitus esse videatur (7).

Denique major argumenti varietas et haec ipsa longitudo carminum amplior effecit, ut et duriores essent transitus et digressiones longiores, ab arte magis profectae, quam ab affectionum impetu. Namque et camelorum equorumve descriptiones aegre desiderant Arabes recentiores, et vero haec ab iis

les:

(1) Moal. vs. 11 sqq.

(2) Moal. vs. 53 sqq.

(3) Moal. vs. 22 sqq.

(4) Carm. vs. 44-47, 58, 59, 70-73, 74-84.

(5) Vid. comment. nostra p. 34.

(6) De his reliquisque recentioris poëseos Arabicae vitiis videatur Rau, Orat. de poëseos Hebraicae prae Arabum poësi praestantia p. 10 sqq. et in annot. p. 53 sqq. Pleraque enim exempla, quae ad Arabicae poëseos rationem ostendendam attulit, ad hoc genus pertinere videntur.

(7) Moal. vs. 15 sqq.

lex statuta est, ut in longioribus carminibus singulis expeditionem aliquam enarrent, amoris causa susceptam (1). Quae quidem amoris commemoratio cum quocunque carminum argumento contexta eique veluti assuta, quamvis recentioribus Europae gentibus non adeo mira accidere possit, quippe quibus aut comoediae aut epica carmina aut ipsae gravissimae tragoediae plerumque vix placeant, nisi amoris quaedam injiciatur mentio; tamen a sincero naturae judicio aliena est et nimiae arti tribuenda, qualis in recentiori Arabum poësi conspicitur.

Haec ergo singula consideranti eximia videbitur Tograji praestantia. Etenim non omnia ille quidem recentioris aetatis evitavit vitia. Longam enim de expeditione aliqua amatoria narrationem ad reliquum carminis argumentum attexuit, quamvis mira arte reliquis partibus adaptatam. Habet etiam aurium satietatem, e clausularum similitudine ortam. Habet, praesertim in illa amoris relatione, quaedam dicta obscuriora et artificiosas antitheses. At vero idem in imaginibus et coacervandis parcior et explicandis moderatior, his orationis veluti gemmis tam verecunde carmen suum ornavit, ut multi versus, remoto omni insigni ornatu, solo exquisito verborum delectu ipsoque animi sensu placentes verecundae mulieris pulcritudini similes sint, quae etiam incomta delectat. Ampliores autem illas frigidasque camelorum equorumve descriptiones plane evitavit et longe maxima carminis pars sensu, tamquam succo, plena antiquiorum nobis poëtarum vigorem ostendit coloremque, antiquioris poëseos sinceritati proximum.

Quibus omnibus cum accedat, quod antiquae poëseos vigori recentioris aetatis cultum addiderit, cumque et rerum varietate antiquioribus copiosior sit, et oratione cultior, et metro numerisque utatur suavissimis (2); mihi quidem videtur Tograjus inter recentiores Arabum poëtas unus in paucis eximius esse dicendus. Et vero, in quo nescio an quemquam in Arabibus poëtis parem sibi habeat, nedum superiorem, quam sit in sententiis moralibus et proferendis et pronuntiandis sollers atque acutus, non possum quin in hujus disqui-

(1) Exemplo sit ipsum carmen Caab ben Zoheiri in laudem Mohammedis compositum. Conf. Cl. Pareau in Com. de poëm. Ibn Doreidi l. l.

(2) De hoc metro agere, necesse non censui; egerunt de eo Vattier *l'Elégie du Tograi* p. 5 sqq. et Jones l. l. C. II.

quisitionis fine uno ostendam exemplo. Celebratissimum in antiquitate hoc est Pindari dictum de rerum humanarum inconstantia:

> Ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
> Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.
>
> *Unius sumus diei. Quid est quisquam? quid non est?*
> *Umbrae somnium homines* (1).

Quod expressit adeo imitando Sophocles:

> Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
> Εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
>
> *Video enim nos nil esse aliud, quam*
> *Simulacra, quotquot vivimus, aut umbram inanem* (2).

Neutri vero cedit Tograjus:

> ترجو البقاء بدار لا ثبات لها
> فهل سمعت بظل غير منتقل
>
> *Speras perenne quicquam in hac terra? Nulla ei stabilitas!*
> *Quid enim? audistine unquam de umbra, quae non transiret* (3)?

§. 5.

Mores, sensus, studia in Tograji carmine conspicua et plane Arabica.

Orationis formam delineavimus et poëseos veluti speciem externam. Sed ut in homine cognoscendo animus, ita in poësi maxime observandi sunt sensus ipsi moresque et studia carminibus expressa. In hoc autem, de quo agimus, carmine virum videmus, urbium maximarum etiam delectationes spernentem, deserto, camelis, sociis bellicosis, et expeditionibus periculi plenis delectatum, divitias honoresque contemnentem, fortunae iniquitate et animi audacia gloriantem laetantemque. Homines describuntur separata quadam et a reliquorum societate hominum remota tribu viventes, pari et crudelitate in hos-

(1) Pyth. VIII. vs. 135 sq.
(2) Ajac. vs. 125.
(3) Carminis vs. 57.

hostes, et in hospites benevolentia insignes. Puellae foeminaeque summo loco habitae, maximo expetitae amore; eaedem vero, quod profecto ex nostro sensu parum fit humaniter, a virorum societate seclusae, et in tentorio, tanquam in carcere, detentae. Mores ejusmodi sunt, ut in utramque partem immoderati nobis videantur, quippe aeque in jaciendis conviciis atque in donis tribuendis perquam liberales ac prodigi. In omnibus conspicitur aliquid magni et saepe ex nostro quidem judicio praeter modum excelsi atque profusi.

In his autem luculentius etiam, quam in externa poëseos forma, ingenium cernas, quale universis Orientalibus hominibus proprium fuit, non ratione judicioque rectam phantasiam, sed affectuum impetu inflatam arguens, idem autem nativa simplicitate indoli puerorum simillimum. Ipsum vero illud Orientale ingenium non religione excultum videas, ut in Hebraeorum carminibus, sacram quandam sublimitatem spirantibus et prorsus divinam; sed attemperatum plane ad singularem Arabum conditionem, qui ab antiquissima inde aetate nulli genti subjecti, in desertis horridis, medias inter feras ferocesque saepe inimicos versati, humanam hanc audacis animi sublimitatem ostendunt, qua ad ardua quaeque et aliis inaccessa negotia adeunda homines impelluntur hac sola spe, ut et sibi admirandi videantur et aliis admirationem injiciant atque stuporem. Quamvis enim, ut antea docuimus, plerique in hoc carmine sensus ex ipsa singulari Tograji conditione sint profecti, poëta tamen Arabs medios inter Arabes vivens et scriptorum Arabicorum, ac poëtarum maxime antiquorum consuetudine imbutus, in hac sua conditione et sui animi sensibus describendis plane mores expressit gentis suae universumque Arabum ingenium. Quod, age, cum de poëta nobis sit sermo, non ex historicis quibusdam narrationibus, sed ex ipsis poëtarum carminibus ostendamus.

Itaque ex Arabum judicio nihil verius dici potuit hoc poëtae effato:

وما البأس الا حمل نفس علي السري
وما العجز الا نومة وتشمس

Est fortitudo nil aliud, quam animi impulsio ad ardua quaeque strenue peragenda:
Uti mera ignavia est quieti sese dare solemque captare (1).

Qua-

(1) Exc. Ham. p. 536. vs. 5.

Quare caeteris dormientibus vigilant saepe heroës, magna quaeque animo volventes (1), neque gloriosius quicquam existimant, quam si interdiu in uno deserto, noctu in altero media inter pericula vagentur (2), solis comitati fame, frigore terroribusque tanquam sociis (3). Propter haec et alios celebrant proavosque suos et sese ipsi impense laudant poëtae. Scilicet neque in cingulo decus est, neque in veste ornata (4), sed si quem fortitudinis fama ornet nullis contaminata sordibus, huic omnis, quam induit, vestis decora est (5). Lacrymas fletusque contemnunt (6), nimiam de vita sollicitudinem spernunt, mortis adeo quendam laudant amorem (7). Etenim tum demum magnos sese existimant, si ipsi nullo indigeant consilio nisi suo (8), sique adversarios gladio suo ita feriant, ut rideat mors atque exsultet (9). Itaque ii etiam poëtae, qui vixerunt felices, infelicissimos sese finxerunt, quo magis suam in adversa fortuna fortitudinem declararent. Quamvis enim utramque fortunam ferre se posse glorientur, quippe qui fata edoment, et jumenti instar subigant (10), tamen in adversa fortuna maxime exsultant; in qua Ibn Doreidus: *Noli existimare*, inquit, *o Fortuna*, *supplicem me deprecari calamitates!*

مارست من لو هوت الافلاك من جوانب الجوّ عليه ما شكا

quod dictum adhibitis Horatii verbis optime sic vertas: *In eum irruis, o Fortuna, quem*,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae (11).

Ad

(1) Ibn Dor. vs. 194-198.
(2) Exc. Ham. p. 396. vs. 4.
(3) Schanfari vs. 55. in *Chrestomatie Arabe par Silvestre de Sacy*, T. I. p. 319. Conf. T. III. p. 8.
(4) Exc. Ham. p. 476. vs. 1.
(5) Ibid. p. 458, 460. vs. 1, 2.
(6) Ibid. p. 484. vs. 15. p. 456. vs. 10, 11.
(7) Ibid. p. 466. vs. 11.
(8) Ibid. p. 358. vs. 9.
(9) Ibid. p. 400, vs. 8.
(10) Ibn Dor. vs. 172, 173.
(11) Ibn Dor. vs. 22. Horat. Carmin. L. III. Od. 3. vs. 7, 8.

Ad hanc indomitam vim animi exercendam omnia conferre solent Arabes. Utuntur autem maxime armis, comitibus atque animalibus, et hisce gaudentes per deserta et invia quaeque loca vagantur.

Et armis quidem quantopere delectentur, vel ex eo patet, quod ab hastis gladiisque frequentes lubenter similitudines petunt poëtae, iisque aut se aut maximos quosque viros, ipsum adeo Mohammedem comparent (1). Gladios fulminis instar splendentes (2) vaginis tegumentisque condunt pretiosis et gemmis auroque nitentibus: gladii et versibus poëtarum plurimis et proverbiis celebratissimisque vulgi vocibus per totum subinde Orientem inclaruerunt (3). Quid? quod Arabes, si desint amici sociique omnes, unico contenti sunt gladio: *Hic enim*, inquiunt, *optimus est itinerum socius comesque* (4).

Comitibus vero etiam atque amicis saepe gaudent, cumque iis confabulantur jocanturque, imo, quod est apud Tograjum, laetitiam cum iis doloremque suum communicant. Neque tamen existimandum est, in eo praecipuam Arabibus esse amicorum commendationem, aut hanc vigere apud eos amicitiam, qua et agere omnia et pati, et vivere velint pro amico et mori: haec apud Graecos amicorum ratio fuit, apud Arabes non fuit, nisi iidem forte simul essent consanguinei (5). Verum sunt illi plerumque non tam amici dicendi, quam magnorum facinorum socii et itinerum comites, qui si sint corpore robusti, pedibus celeres, vigiles et ensis instar imperterriti (6), laudantur; sin minus, timidis amicis fortes gladii anteponuntur aut etiam fortia quaedam animalia.

Et mirum sane est, quantopere animalia in omni antiquitate sint celebrata atque in rebus omnibus cum humanis tum divinis frequentata. Sed prae caeteris omni aevo homines Orientales magnam animalium habuerunt rationem, et alii quidem aliorum. Aegyptii agriculturae studiosi vaccam praecipue co-

lue-

(1) Exc. Ham. p. 484. vs. 18. Caab ben Zoh. vs. 51.

(2) Exc. Ham. p. 430. vs. 15.

(3) Vid. d'Herbelot *Bibl. Orient.* voce *Amrou ben Madi Karb* et *Madi Karb*. Cujus viri carmen exstat in Exc. Ham. p. 476 sqq.

(4) Exc. Ham. p. 358. vs. 9. et p. 428. vs. 13.

(5) Ibid. p. 416. vs. 2. coll. p. 440. vs. 25.

(6) Ibid. p. 376 sqq.

luerunt. Arabes Hebraeique, in montibus sylvisque saepe versati, pulcras suas dorcades summopere admirantur et vero amant: atque uti pueri cum canibus et aviculis tanquam cum sociis suis loquuntur et ludunt, ita illi in grege suo saepe ovem aliquam habent, quam filiolae instar caritate complectantur (1). At vero, quo sunt Arabes rerum bellicarum expeditionumque studio, equos bellicos camelosque prae caeteris diligunt, hos et vocant socios suos (2), et ipsis subinde comitibus suis praeferunt (3), et vero longe magis, quam amicos, laudant carminibus celebrantque. Sique haec dilectissima animalia mactent, ut eorum carne fruantur vel hospites vel puellae amatae, generosum quoddam facinus egisse sibi videntur (4). Scilicet et gladiis instructi et socios nacti et praestantissimo quodam equo camelove comitati, hominum ditissimi sibi videntur et immortalem gloriam habituri, si in bellum procedant aut in deserta proruant. Haec enim seniorum adhortatio, haec poëtarum vox est: *Impellite jumenta, iisque laxate habenas, antequam moriamini* (5)! Neque mirandum est, heroëm Arabem ea indole praeditum, iis carminibus imbutum, solum in desertis vagantem, ipsius sibi videri virtutis hanc nobilissimam audire vocem: *Est camelorum in cursu concitato, est in peregrinatione gloria quaerenda* (6)!

Sed declarandum maxime est, quibusnam cupiditatibus excitati Arabes tantas res moliantur, et quo consilio pericula adeant, et quid sit illud quod assequi conentur, etiamsi sit ipsa morte plectendum.

Fuerunt, qui hos heroës Arabes cum Equitibus compararent, qui medio aevo in Europa summo studio regiones quasque peragrarunt (7). Et est fortasse non omnino negandum, illum Arabum ardorem, una cum religione Mohammedana in Europam translatum, simile quoddam in Europaeis hominibus studium

(1) 2 Sam. XII. 3. Bochart. Hieroz. P. I. L. II. C. 46. p. 521.
(2) Ibn Dor. vs. 70.
(3) Idem vs. 85.
(4) Amralk. Moal. vs. 11. Conf. Lette ad eum locum.
(5) Monumenta Vetustiora Arabiae p. 10. vs. 2.
(6) Togr. vs. 35. col. vs. 33.
(7) Vid. exempli gratia Millot *Hist. Modern. Epoq.* III. *Chap.* 5.

dium incendisse. Sed vel sic tamen plane diversa est utrorumque ratio et indoles tota. Equites illi Europaei armis suis imbecilliores quosque contra fortiores defendebant, Arabes eo magis laetantur, quo plus sanguinis hostilis effuderint; illi sexum debiliorem propugnabant, hi puellas pugnando rapiunt; illi jura hominum maxime imbellium vindicando, hi vim inferendo juribus hostium maxime bellicosorum inclaruerunt: iidem illi injurias sibi illatas honoris famaeque suae vindicandae gratia ulciscebantur, quippe dignitati humanae adversas (1); Tograjus contra, maximis affectus injuriis, difficillimam suscipit expeditionem, hac vero omnia alia spectat, quam ut laesam suam, utpote hominis, dignitatem vindicet. Verbo: in Europaeis illis heroibus virilis quaedam fortitudo animique generositas apparet, et quamvis rudia sint initia et nimio animorum aestu propugnata, at initia tamen in iis cernuntur ingenii maturioris: quae omnia in Arabibus illis frustra quaeras.

At vel sic tamen habent, quae ulciscantur atque vindicent, Arabes. Si quis pater aut frater aut avunculus violenter occidatur, ille morte sua propinquo cuidam caedis ulciscendae officium imponit sanctissimum (2). Hic suscipit illud alacriter, et sanguinis illius vindex consanguineus per immensa subinde deserta vagatur, fame, siti, molestiis prope confectus, erectus sola spe parricidam inveniendi; inventum atrocissime necat. Auferat quis eorum bona, ipsos etiam laedat, pro merito eum punient, aut patienter id ferendum esse statuent; at vero si quis familiam laeserit, si violaverit sororem fratremve occiderit, nae moriantur potius ipsi, quam hunc vivere sinant! Tum demum, si hunc cum omni sua tribu proelii ardore consumtum ac veluti combustum adspiciant (3), et ipsi laetantur et hyenis lupisque delectantur, utpote qui ad sanguinolenti cadaveris adspectum rideant (4). *Hactenus*, inquiunt, *hastae bibendum praebuimus sanguinem et iterum iterumque hauriendum; nunc, agi-*

(1) Vid. *l'Histoire du Règne de l'Empereur Charles-Quint par M. Robertson.* Amsterd. 1771. Introd. P. I. p. 96. item p. 71 sqq. et annot. 22. P. II. praesertim p. 140. *Mémoires sur l'ancienne Chevalerie par M. de la Curne de Sainte Palaye.* T. I. p. 78 sqq.

(2) Exc. Ham. p. 416. v. 2.

(3) Ibid. p. 434, 438. vs. 17, 21.

(4) Ibid. p. 442, 444. vs. 27, 28.

agite, vinum fessis propinate nobis; nunc licitum est, cum istis poculum propinaverimus mortis (1)!

Haec, quae dicitur, sanguinis vindicta in caedibus per caedem ulciscendis maxima cernitur et crudelissima. Tantam vero ejus crudelitatem et Mohammedes quodammodo temperare ſtuduit (2), et vero poëtae multi, praesertim cultiores, inque his ipse noster Tograjus, in carminibus suis non celebrarunt. Sed vel sic tamen, uti pueri inter propinquos gentemque suam viventes, hanc unam cognoscunt, reliquos homines non cognoscunt neque ullo modo curant; ita etiam germani Arabes, cum per separatas quasdam tribus et a reliquorum hominum societate disjunctas plerumque vivant, alienas tribus saepe armis aggrediuntur atque diripiunt: et vero, in quo generosa ab iis vindicta celebratur, si quid per alienam tribum sibi ereptum fuerit, agmine facto cum omni sua gente in eam involant; est enim contra istos vilissima gente procreatos jus defendendum tribus suae (3). Sin injuria affectus fuerit vir aliquis princeps, hic non privatam quidem suam, sed communem potius tribus dignitatem laesám esse existimans, solus rem omnium sustinet, ut experiantur hostes, in defendendis tribus suae juribus esſe privatum neminem. Cujusmodi in re versatus Antara: *Illud unum metuo*, inquit, *ne morte prius occumbam, quam istos cruciet fortuna; veruntamen eorum patrem liqui equidem in pugna escam leonum atque vulturum* (4).

Sed etiamsi nullum hujusmodi propositum assequendum perficiendumve sit, tamen, quod maxime in Tograjo cernitur, pericula quaevis appetunt Arabes, et sive ad opes acquirendas, sive ad vitam decore honesteque degendam in media sese conjiciunt deserta, donec fatigati laboribus comites, emaciati peregrinando cameli, totusque apparatus difficultate itineris fractus ad interitum inclinet, solus ipse heros animi fortitudine sustentatus, in peregrinando persistat immotus (5). Tantus est fortitudinis amor, tantum in illis studium laudis. Sci-

(1) Exc. Ham. p. 438 sqq. vs. 22 - 26.
(2) Coran. C. II. vs. 173 - 175. Conf. C. III. vs. 127, 128.
(3) Exc. Ham. p. 304, 306. vs. 1 - 3.
(4) Moall. vs. 73, 75.
(5) Ibn Dor. vs. 194 - 198.

Scilicet ad hanc fortitudinem, uti diximus, ab antiquissima inde aetate pronum fuit Arabum ingenium; hanc ergo patrum monita, hanc exempla majorum, hanc gentis historia et poëmata omnia suadent, jubent, flagitant. Quamobrem si quid sit magni arduique tentandum: *Patris*, inquiunt, *et majorum sunt praecepta sequenda*; et hoc dicto, in summo difficultatum ardore nullas alias emittunt voces, nisi quibus se aliosque excitent magisque incendant (1). Enimvero decorum est stirpem habere nobilem: sed si quis fortitudinem a patribus acceperit, haec omnium est gloriosissima haereditas (2). Ut tuto concludere liceat, prouti puer tum maxime delectetur, si in propinquorum gentisque suae orbe conclusus vivat, ita hunc ardentissimum familiae, tribus, gentisque suae amorem Arabes incitare, ut magna quaevis peragant, atque non in se quidem hominibusque omnibus humanam tueantur praestantiam, sed in se atque gente sua dignitatem vindicent Arabicam.

Quid vero de amore dicendum puellarum, qui ut in Europaeorum re equestri fuit celebratissimus, ita Arabum heroum carminibus non minus est illustratus? Hic enim, qui praecipue a nobis vocatur, amor uti in singulari quoque homine matura demum aetate sese exserit, ita maturum quoddam et quasi virile ingenium requirere videtur, quippe quo ductus vir debilioris sexus praestantiam easque dotes, quas in se ipse non reperit, generose agnoscit et tanquam humanas aestimat, diligit, colit. Arabes autem pro puellis foeminisque summas difficultates, ipsa adeo vitae pericula, adeunt. Caveamus vero ne illis nostros sensus studiaque tribuamus nostra. Ita enim in eorum poëtis et damnemus fortasse vehementius, quod indoli Arabicae condonandum, et desideremus inique, quod non nisi nostro ingenio proprium est censendum. Etenim quam parum muliebris indolis praestantiam aestiment, vel ex hoc apparet, quod describuntur semper foeminae a virorum societate seclusae et in separatis tentoriis conclusae atque custoditae. Cumque in benevolentia atque munificentia sit quaedam praecipua foeminarum laus habenda, hanc Arabes in viris celebrant, vituperant in foeminis, quas parcas volunt esse ac

(1) Antara Moal. vs. 62, 63.
(2) Exc. Ham. p. 476. vs. 2.

ac paene avaras (1). Ipse autem ille amor ad corporis sensus refertur totus, ut verecundi sint dicendi poëtae, qui non nisi in osculis describendis sint lascivi (2). Si quis vero Amralkeisum, poëtam celeberrimum eundemque regia dignitate insignem, audiat narrantem de violato a se matronarum pudore gravidarum lactantiumque, et de hac re coram puella gloriantem (3), sentiet ille profecto, non excelsum illum ab Arabibus celebrari amorem, qui maturum ornat hominis ingenium atque condecorat. Sed uti in his ingenium videas parum provectum parumque excultum, quale corporis voluptatibus vehementer affici solet, ita in omni hac re amatoria indolem suam plane expresserunt Arabes. Amoris causam plerumque cum honore et suo et tribus suae conjungunt (4). Equis camelisve vecti per horrida saepe deserta ad puellas procedunt, et ad earum tentoria gladio sibi aditum parant (5). Scilicet unaquaeque tribus puellas foeminasque suas et ornat, et tanquam bona omnium pretiosissima celat, et hastis gladiisque custodit. Ad quarum ergo latibulum si quis penetrare velit amator, huic noctu aggredienda est tribus fortissima, profligandi custodes mortem ipsi minantes, et hi tanquam leones vincendi sunt, ut ad suavissimas suas veluti dorcades accedere possit (6). Neque tamen ille tela expavescit, mox horum vulnera dulcissimis amatae osculis sanaturus (7).

In his ergo omnibus audax cernitur Arabum animus et quaedam in ipsis etiam amoribus ferocia. Neque tamen existimandum est, nihil in eorum indole suave esse, aut amabile. Imo, quae in pueris maxime cernitur naturae humanae bonitas, et benevolentiae vis ab ipso animi impetu naturali profecta atque inconsiderate etiam omnia profundens, eadem in Arabibus conspicua est, quibus nihil gratius est, gloriosius nihil liberalitate. Hanc vocant pulcerri-

mam:,,

(1) Vid. omnino Pocock ad Togr. vs. 22. p. 107.
(2) Vid. Antara Moal. vs. 13. et ibi Cl. Willmet.
(3) Moall. vs. 16, 17. Conf. vs. 26 sqq.
(4) Vid. Cl. Willmet ad Antar. Moal. vs. 8. p. 129.
(5) Amralk. vs. 23, 24.
(6) Antar. vs. 6, 7, 57.
(7) Conf. H. A. Schultens in Orat. de ingenio Arabum p. 28.

mam, qua quis ornari possit, torquem, margaritis gemmisque pretiosiorem, columbarum torqui similem (1). Hac sortem hominum ita exhilarari dicunt, uti pluvia copiose manante plantae exhilarantur flaccidae (2). Opes sibi colligunt sive peregrinationibus molestis, sive aliis laboribus difficillimis, non ut sibi prospiciant, sed ut habeant quod liberaliter elargiantur, dum egent ipsi (3). Etenim in hoc est summa hominis dignitas (4), ut sit hominibus beneficus, imo ipsis animalibus ferisque (5). Qualem virum cum mortuum vidisset poëta Arabs, sepulcrum ejus adspiciens: *Te*, inquit, *te rigent pluviis continuis nubes matutinae! Tu enim ipsam mortuam comprehendis liberalitatem*, *comprehendis eam*, *quae*, *dum vivebat*, *totam terram et mare universum replevit. Sed nunc mortua est liberalitas! At vero per hujus viri*, *quamquam mortui*, *munificentiam nobis vivere licet*, *uti per torrentem exuberantem*, *quamvis jam refluxerit*, *vigent prata florentque* (6).

Hanc autem liberalitatem Arabes eo exercent modo, in quo mores eorum omnemque vivendi rationem perspicias. Nam cum ipsi aut peregrinentur aut in deserto vivant peregrinatoribus frequentato, sanctissima iis evasit hospitalitas. Itaque nobilissimi quique Arabes noctu in tentorio non ante quietem capiunt, quam ignem in colle quodam accendi et per totam noctem ali jusserint, ut, si quis transeat peregrinator, is e longinquo jam adspiciat, virum illic degere hospitalem, quem si adeat, lautissimo convivio excipiatur bonisque omnibus cumuletur abunde (7). Quare Hatemus, cujus liberalitas in proverbium abiit, ita a poëta quodam inducitur servum allocutus:

اوقد فانّ الليل ليل قرّ
والريح يا واقد ريح صرّ
عسي يري نارك من يمرّ
ان جلبت ضيفا فانت حرّ

Ac-

(1) Meidani Proverb. Arab. ed. Schultensio p. 138.
(2) Ibn. Dor. vs. 97. Exc. Ham. p. 424. vs. 10.
(3) Exc. Ham. p. 408. vs. 5.
(4) Ibn Dor. vs. 144.
(5) Exc. Ham. l. l. vs. 6. Ibn Dor. vs. 206, 207.
(6) Exc. Ham. p. 554. vs. 1-5.
(7) Ibid. p. 472. vs. 19. ibique Tauritius. Ibn Dor. vs. 207. et Teblebius laudatus ad Haririi Cons. IV. p. 49, 50.

Accende ignem, nox enim, nox frigida est,
Et ventus, fac ardeat ignis, ventus est acer.
Forsitan tuum ignem videbit aliquis praeteriens:
Unum si mihi adducas hospitem, tu liber es (1).

Est haec quidem hospitalitas non ex universa quadam et aequali erga homines omnes benevolentia et amore repetenda. Neque enim indoles Arabica hanc maturi ingenii humanitatem capere potest, qua homines omnes amantur propter id ipsum quod homines sunt. Enimvero quamvis ipsos etiam hostes nonnunquam hospitio excipiant, iisdem tamen antea manu sua vulnerandis delectantur, quam opibus sanant (2), et quamvis eo subinde procedant liberalitatis, ut spolia hostibus detrahere nolint, iidem tamen eo procedunt crudelitatis, ut hostes ipsos discerpi velint a feris, et quamvis jam mortuos lubenter videant dilaniari (3). Sed est hoc potius existimandum quoddam honoris studium, quo se a pauperioribus et obscuro loco natis hominibus distinguant divites et nobiliores, laudemque sibi comparent apud tribus quascunque (4). Etenim uti ingenuo homini apud Arabes fortitudo honori esse solet, ita quoque liberalitas; et si quis fortitudine armatus sit et liberalitate dives, neque arma habere ad gloriam pulcriora potest neque divitias ullas ad laudem opulentiores (5).

Neque tamen aut huic liberalitati aut fortitudini illi, quamvis utraque ex nostro sensu nimia sit, omnis est deneganda existimatio, neque etiam universum Arabum ingenium damnandum est tanquam ferox et superbum et immoderatum et in largitate aeque ac crudelitate effrenatum. Primum enim, qui tanquam sanguinis caedisque vindices ulciscendi studio ardent et crudelitate immanes sunt, quam sunt iidem admirabiles censendi et vere amabiles, quippe qui eo perducantur sola sua erga parentes et consanguineos pietate, caritate et ardore amo-

(1) Meidani Prov. p. 134.
(2) Exc. Ham. p. 452, vs. 7.
(3) Antara Moal. vs. 46, 50.
(4) Conf. Meidan. Prov. p. 138.
(5) Ibn Dor. vs. 136-138, 144, 145.

amoris, quo incensi mori malunt honeste, quam turpiter vivere! Deinde universum illud odium, quo in alienas tribus facile vehementerque feruntur, quodnam quaeso propositum habet, nisi ut suae tribus honorem vindicent, aut quem fontem alium, praeter hunc ipsum amorem, e quo omnia in genere humano magna et praeclara et generosa facinora fluxerunt? Denique ad omnem et fortitudinis vim et liberalitatis magnificentiam parentum eos et proavorum excitavit admiratio, reverentia, amor. Ut, si in his omnibus virilem illam magnanimitatem generositatemque desideres, tamen in iisdem diligas illam erga consanguineos caritatem, pietatemque erga parentes, qua omnibus pueritia solet esse unice amabilis. Sunt illi, fateor, in utrisque et lenioribus affectionibus et vehementioribus immoderati. Sed haec moderatio maturi est ingenii cultusque perfectissimi; Orientales vero homines et populi incultiores et ipsi, quibus hi simillimi sunt, pueri aut perquam amabiles sunt aut perquam iracundi. Et si dicendi sint Arabes immoderata et liberalitate et fortitudine sua gloriari et superbire et nimio in his laudis studio duci, ea haec laus existimanda est quam praeconiis confirmarunt eorum consanguinei, praeceptis commendarunt patres et ab antiquissimo inde aevo nepotibus majores vindicandam tradiderunt et illustrandam: ut horum omnium gravissimam auctoritatem nomenque ipsum Arabicum violare sibi videantur, nisi sint imbri copiosissimo similes, si dona effundant, leoni cruentissimo, si in hostes saeviant (1).

Haec universa est Arabum indoles, quam antiquioribus carminibus expressam imitati sunt recentiores poëtae et ipse noster Tograjus. Diximus antea, Tograjum suam in carmine conditionem fortunamque et suos affectus indolemque totam expressisse. Et sunt omnino in illo sententiae quaedam, quae, cum moralem hominis praestantiam spirent (2), ipsam poëtae aetatem arguunt, Mohammedi posteriorem. Est in illo astronomiae notitia (3) et doctrinarum eruditionisque studium (4), in quo doctum virum eruditumque cer-

(1) Exc. Ham. p. 424. vs. 10.

(2) Conf. Carminis vs. 41, 56, 57. Pariter apud Ibn Doreidum sensibus Arabicis egregie additur pietatis erga Deum et religionis studium, vs. 145.

(3) Carminis vs. 36, 46.

(4) Carminis vs. 58.

cernas scriptorem. Sunt denique multa, in quibus celeberrimum olim in regno Vesirum, civilibus partium studiis et inimicorum insidiis factum exsulem, audias loquentem. At vero si eundem sese describentem videas, cum juvenis esset, per media tribus cujusdam arma ad dilectae puellae tentorium proruentem, naturalem Arabum vivendi consuetudinem agnosces, ingeniumque plane Arabicum. Idem vero etiam senex cum camelis molestissima suscipit itinera, ut nanciscatur quo exerceat liberalitatem, et cum iisdem in deserta ruit, ut fortitudinis sibi acquirat laudem; cum tamen exsul quiescere et in obscuro quodam loco latere potuisset, nisi proavorum exemplo et poëtarum carminibus ad tuendam indolis Arabicae dignitatem fuisset incitatus. Quid dicam de invicta illa Tograji in summis fortunae molestiis et difficultatibus fortitudine, animique constantia prorsus admirabili? Qua certe exprimenda ita sui animi imaginem carmini impressit Tograjus, ut neque conditionem neque indolem suam melius potuisset declarare. Et tamen eo ipso factum, ut universam gentis Arabicae indolem carmine expresserit. Scilicet nulla facile cum ad caeteros homines tum ad Orientales instituendos, excolendos, perficiendos vis gravior, nulla efficacior fuit, quam haec ipsa vis poëseos. Quamobrem cum antiquis poëseos monumentis pertractandis eo fuerit perductus poëta, ut ipse etiam versibus et carmine quodam conditionem suam describeret; nemo profecto mirabitur, si statuamus, iisdem illum antiquioribus poëtis legendis ad fortitudinem plane Arabicam fuisse informatum. Quam ergo cum vita omni factisque ostenderit, germanum sese praestitit Arabem, cumque eandem verbis omnique carmine suo manifestarit, hac exprimenda fortitudine sua ipsam in hoc carmine expressit indolem Arabicam.

COMMENTATIONIS

PARS POSTERIOR.

TOGRAJI CARMEN CUM ANNOTATIONE.

قصيدة

ابي اسمعيل الطغرائيّ

المعروفة بلاميّة العجم

اصالة الراي صانتني عن الخطل
وحلية الفضل زانتني لدي العطل

مجدي اخيرا ومجدي اوّلا شرع
والشمس راد الضحي كالشمس في الطفل

فيم الاقامة بالزوراء لا سكني
بها ولا ناقتي فيها ولا جملي

ناء عن الاهل صفر الكفّ منفرد
كالسيف عرّي متناه من الخلل

فلا صديق اليه مشتكي حزني
ولا انيس اليه منتهي جذلي

vs. 3. Non legendum esse بالزُّوراء, sed بالزَّوراء, monuit Pocock.
vs. 4. Pro من editio Calcuttensis habet عن, quas fere synonimas praepositiones saepius ea commutavit.

CARMEN

ABU ISMAËLIS TOGRAJI,

QUOD VOCATUR LAMICUM PERSICUM.



1. Immota mentis constantia a turpi me tuetur vacillatione,
Virtutisque me decus ornat, cum desit torquium splendor.

2. Gloria mea posterior et gloria prior aeque est magna;
Ipse etiam sol ad splendoris culmen procedens idem est qui sol occidens.

3. Quid jam morarer Bagdadi? Non domus mihi
Istic, non camela est, neque camelus.

4. Longe ibi a meis sum remotus, sum manibus opum vacuis, solitarius,
Ensi similis, cujus latera pulcro sunt tegumento nudata.

5. Neque amicus illic mihi, quocum conquerar de meo dolore,
Neque sodalis est, quocum communicem meam laetitiam.

vs. 5. In edit. Lugd. Bat. pro جذلي *gaudium meum* est جزلي *vulnus meum*. Sed hoc aut scribendi vitium est, aut ex perverso corrigendi studio ortum.

طال اغترابي حتّي حنّ راحلتي
ورحلها وقري العسّالة الذبل ۞

وضجّ من لغب نضوي وعجّ لما
القي ركابي ولجّ الركب في عذلي ۞

اريد بسطة كفّ استعين بها
علي قضاء حقوق للعلي قبلي ۞

والدهر يعكس امالي ويقنعني
من الغنيمة بعد الكدّ بالقفل ۞

وذي شطاط كصدر الرمح معتقل
بمثله غير هيّاب ولا وكل ۞

حلو الفكاهة مرّ الجدّ قد مزجت
بشدّة البأس منه رقّة الغزل ۞

طردت سرح الكري عن ورد مقلته
والليل اغري سوام النوم بالمقل ۞

والركب ميل علي الاكوار من طرب
صاح واخر من خمر الكري ثمل ۞

vs. 6. Pocockius monet legendum esse اغترابيَ addita vocali postrema propter metrum. Habet hoc editio Calcuttensis.

vs. 7. In uno codice monet v. d. Sloot pro القي legi يلقي, ut verti debeat *clamat, ob id quod patitur, meum jumentum.* Quae lectio ex perverso corrigendi studio orta videtur.

vs. 9. Monet v. d. Sloot, codicum auctoritate legendum esse يُعكس et آمالي.

vs. 10. Si legatur معتقِل in activo, vertendum sit *qui gerit sibi similem*, i. e. *hastam, cui similis est.* Sed verbum non solet construi cum praepositio-ne

6. Tamdiu protracta est mea peregrinatio, ut ingemisceret meum jumentum,
Jumentique sella, et tremulae tenuesque hastae:

7. Utque creparet prae lassitudine camelus emaciatus, et clamaret
Cum attingerem stapedes, comitesque me incusarent certatim.

8. Expetebam opes, ut possem, largas *egenis* manus expandendo,
Officio fungi, quod mea mihi praecipit Magnanimitas.

9. Sed Fortuna repulit omnem spem meam, contentumque me esse jussit,
Pro lucro toto, post graves labores, *incolumi* reditu,

10. Et hoc *socio*, qui statura procerus, ut hasta longa ab ipso gestata,
Ejusdemque hastae ad instar neque timidus est neque imbellis:

11. Dulcis idem in joco, in seriis austerus est; temperaturque
Fortitudinis in illo asperitas mollitudine suavissimi lusus.

12. Hujus *aliquando* ab oculis, tanquam ab aquario, somni gregem abegi,
Quum turbam soporiferam ad ejus oculos impelleret Nox:

13. Dum comites nutabant in sellis, aliique vacillabant
Velut e crapula evigilantes, alii somnolentia quasi vino adhuc temulenti.

ne ب. Malo igitur legere, ut est in edit. Lugd. Bat. معتقَل in passivo.

vs. 11. Male in edit. Lugd. Bat. legitur فكهة. Pro بشرة monet v. d. Sloot in uno codice esse لشرة, et in duobus aliis بقسوة, quod, cum idem significet, ex interpretatione quadam substitutum videtur.

vs. 13. In uno codice, secundum v. d. Sloot, praef. p. 15., pro الاكوار *sellae* vitio scriptionis legitur الاكرار *vestimenta*. Malo legere طرَب *commotio*, quam, quod proposuit Pocock, طرِب *commotus*.

فقلت ادعوك للجلّي لتنصرني
وانت تخذلني في الحادث الجلل ۞

تنام عنّي وعين النجم ساهرة
وتستحيل وصبغ الليل لم يحل ۞

فهل تعين علي غيّ هممت به
والغيّ يزجر احيانا عن الفشل ۞

انّي اريد طروق الحيّ من اضم
وقد حماه رماة الحيّ من ثعل ۞

يحمون بالبيض والسمر اللدان به
سود الغداير حمر الحلي والحلل ۞

فسر بنا في ذمام الليل معتسفا
ونفحة الطيب تهدينا الي الحلل ۞

فالحبّ حيث العدي والاسد رابضة
حول الكناس لها غاب من الاسل ۞

نؤمّ ناشئة بالجزع قد سقيت
نصالها بمياه الغنج والكحل ۞

vs. 14. Male in edit. Lugd. Bat. est الخادث الجُلل pro الحادث الجَلل.

vs. 15. Pro عنّي *me neglecto*, male editio Lugd. Bat. habet عين et unus codex عيني fecundum v. d. Sloot praef. p. 15. Vertendum enim foret *oculus meus dormit*, quod non fert poëtae consilium.

vs. 16. In edit. Calc. pro عن est من.

vs. 17. Secundum v. d. Sloot in uno cod. pro الحي est الجزع, quod cum vs. 21, 26. etiam adhibeatur de *valle* montis Idami, possit in priore membro substitui; sed potest bis etiam legi الحي, cum saepe verba eadem re-

14. Huic tum dixi: „ Voco te ad rem arduam, ut me adjuves;
„ Tu vero me destituis in arduo hocce negotio!

15. „ Dormis me neglecto, dum stellarum oculus vigilat!
„ Tuque te mutabilem exhibes, dum color noctis non mutatur!

16. „ Quidni vero adjuves in temerario facinore, quod animo volvo:
„ Temerarium enim facinus aliquando repellit ab ignavia.

17. „ Cupio equidem noctu adire vicum *montis* Idami,
„ Quem tuentur sagittarii tribus Tohali;

18. „ Tuentur ibi gladiis candidis et hastis fuscis flexilibusque
„ Puellas cincinnis nigras, fulvas ornamentis ornatisque stolis.

19. „ Ito ergo nobiscum noctis sub praesidio, per invia oberrans!
„ Viae enim dux nobis ad tentoria erit odoramentorum fragrantia.

20. „ Amor meus est, ubi hostes, ubi Leones sunt cubantes
„ Circum latibulum Dorcadum, media in sylva hastarum.

21. „ Adeamus vero illam, vallis in recessu educatam; ejus ipsius imbuta sunt
„ Tela splendenti languentium nigrorumque oculorum humore.

repetat poëta. Pro حماه in eodem codice, ut et in edit. Calc. est حمته quod secundum leges grammaticas rectius est.

vs. 18. Male in edit. Lugd. Bat. legitur الغذاير.

vs. 19. Recte monuit v. d. Sloot non legendum esse معتسفا quod est in uno codice.

vs. 21. Ratio grammatica postulat, ut eorum codicum auctoritatem sequamur, qui legunt non نام et سُقبتُ, verum ذوّم et سغبت. Vid. v. d. Sloot. Utrumque legitur recte in edit. Calc.

قد زاد طيب احاديث الكرام بها
ما بالكرايم من جبن ومن بخل ۞

تبيت نار الهوي منهنّ في كبد
حرّي ونار القري منهم علي القلل ۞

يقتلن انضاء حبّ لا حراك بهم
وينحرون كرام الخيل والابل ۞

يشفي لديغ العوالي في بيوتهم
بنهلة من غدير الخمر والعسل ۞

لعلّ المامة بالجزع ثانية
يدبّ منها نسيم البرء في عللي ۞

لا اكره الطعنة النجلاء قد شفعت
برشفة من نبال الاعين النجل ۞

ولا اهاب الصفاح البيض تسعدني
باللمح من خلل الاستار والكلل ۞

ولا اخلّ بغزلان اغازلها
ولو دهتني اسود الغيل بالغيل ۞

vs. 22. Legendum esse اَحاديث secundum Golium monuit Anchersen et v. d. Sloot. In edit. Calc. quoque legitur احاديث.

vs. 23. Ferri possit lectio قبل *locus superior*, quáe secundum v. d. Sloot est in uno cod. pro القلل *collis*. Sed hoc praeferendum. Vitio typographico pro الهوي apud v. d. Sloot est القوي.

vs. 24. Pro حَراك male legi حراك monuit Pocock. Pro بهم in uno codice, secundum v. d. Sloot praef. p. 15., est به, in edit. Calc. autem بها.

vs. 26. In editione Calc. pro عللي est علل.

22\. „ Nobilium virorum de illa colloquiis addit suavitatem
„ Modestia ejus frugalitasque, qua inter nobiles foeminas eminet.

23\. „ Hae per totam noctem ignem alunt amoris in corde
„ Flagranti; illi in collibus ignem hospitalitatis.

24\. „ Perimunt hae confectos desiderio amatores, ut jaceant immobiles;
„ Illi generosos jugulant *hospitibus* equos camelosque.

25\. „ Qui hastis vulneratus est, in illorum tentoriis sanatur,
„ Remedia hauriens e fonte vini mellisque.

26\. „ *Mihi autem*, ut spero, si in illum vallis recessum nunc rediero,
„ Afflabit exinde aura, meo morbo salutaris.

27\. „ Non reformido vulnus late patens, modo simul accedat
„ Unus ictus a jaculis oculorum late patentium.

28\. „ Nec metuo gladios micantes, modo me donent
„ Levi *puellae* adspectu, per cortinarum tenuiumque velorum rimam emicanti.

29\. „ Nec deseram Dorcades; me oblectabo cum illis,
„ Insiliant licet in me Leones feroces ex insidiis.

vs. 28. Apud v. d. Sloot scriptum est ببيص pro ببيض. Pro تسعدني in uno codice ab illo refertur lectio سعدني in specie 1., quod non placet. Denique apud eundem praef. p. 15. exhibetur ex uno codice باللثم *osculatione* pro باللمح *furtivo adspectu;* illud vero redolet Scholiastae interpretationem.

vs. 29. Pro اغازلها, secundum v. d. Sloot, in uno codice perverse legitur تعازلني *illae me amovebunt*, perverse item in alio codice, vid. praef. p. 15., تغازلها *ludent illae cum illis.* Probam lectionem habet etiam edit. Calc.

حبّ السلامة يثني عزم صاحبه
عن المعالي ويغري المرء بالكسل ۞

فان جنحت اليه فاتّخذ نفقا
في الارض او سلّما في الجوّ فاعتزل ۞

ودع غمار العلي للمقدمين علي
ركوبها واقتنع منهنّ بالبلل ۞

رضا الذليل بخفض العيش مسكنة
والعزّ عند رسيم الاينق الذلل ۞

فادرا بها في نحور البيد جافلة
معارضات مثاني اللجم بالجدل ۞

ان العلي حدّثتني وهي صادقة
فيما تحدّث انّ العزّ في النقل ۞

لو انّ في شرف الماوي بلوغ مني
لم تبرح الشمس يوما دارة الحمل ۞

اهبت بالحظّ لو ناديته مستمعا
والحظّ عنّي بالجهّال في شغل ۞

vs. 30. Pro عزم in compluribus codd. legitur هم, secundum v. d. Sloot, item in edit. Calc. Significatio fere eadem est. Caeterum Sebt ibn al Djouzi in MS. 88. Acad. Lugd. Bat. nonnullos describens hujus carminis versus, ante hunc versum 30 posuit versum 38.

vs. 31. Codicum auctoritate, quibus accedit etiam editio Calc., legendum videtur اليه non اليها. Vid. v. d. Sloot in annot. crit.

vs. 33. In uno cod. pro مسكنة legitur male يخفضه. In duobus Codd. pro رضا le-

30. Si cui comes adsit Amor incolumitatis, mentem ejus avertit
A magnis facinoribus propellitque eum ad pigritiam.

31. Ad eum si propensus sis, latibulum tibi prehende
Sub terra, scalamve aethera versus, teque proripe!

32. Gurgites vero nobilium facinorum iis relinque, qui audent
Istis invehi; tu humiliter contentus esto guttula!

33. Servilis hominis in vitae quiete voluptas est quidam humilis languor;
Sed solida gloria in cursu est concitato camelorum servilium.

34. Prorue ergo cum hisce medias in fauces deserti, ea velocitate
Ut horum capistra laxatas *equorum* habenas exaequent.

35. Enimvero ipsa mihi Excelsitas nuntiavit, estque haec veracissima
Homini nuntia, gloriam esse in peregrinatione quaerendam.

36. In alta splendoris sede si esset apex votorum,
Nunquam a sua in Ariete mansione discederet Sol.

37. Clamassem ad Fortunam, si auscultantem vocari putassem,
Sed Fortuna a me aversa in rebus insipientium erat occupata.

legitur يرضي, sed rectius nomini عزّ opponitur nomen رضا, quam verbum يرضي. Vid. v. d. Sloot.

vs. 34. Pro نحور *jugula*, *fauces* in edit. Lugd. Bat. est بخور *suffitus*, quod manifesto vitiosum est. Sed hinc forte est, quod Reiskius legisse videtur بحور *maria*, contra codicum auctoritatem.

vs. 36. Pro لو انّ in uno cod. est لو كان, non male. Attamen retineri consueta lectio potest.

لعله ان بدا فضلي ونقصهم
لعينه نام عنهم او تنبّه لي ❁

اعلّل النفس بالامال ارقبها
ما اضيق العيش لو لا فسحة الامل ❁

لم ارتض العيش والايّام مقبلة
فكيف ارضي وقد ولّت علي العجل ❁

غالي بنفسي عرفاني بقيمتها
فصنتها عن رخيص القدر مبتذل ❁

وعادة النصل ان يزهي بجوهره
وليس يعمل الّا في يدي بطل ❁

ما كنت اوثر ان يمتدّ بي زمني
حتّي اري دولة الاوغاد والسفل ❁

تقدّمتني اناس كان شوطهم
وراء خطوي اذ امشي علي مهل ❁

هذا جزاء امرء اقرانه درجوا
من قبله فتمنّي فسحة الاجل ❁

vs. 38. Hic versus apud Ibn al Djouzium, uti jam diximus, ponitur ante versum 30. quod non recte fit. Pro consueta lectione لعلّ ان قد in compluribus codd. secundum Pocock. et v. d. Sloot, et in edit. Calc. legitur لعلّه ان, quod praetuli, siquidem monuit Pocockius, utroque modo versum sibi constare; affixum in لعله facile librariis videri potuit abundare, aut minus recte positum esse.

vs. 39. Pro العيش in codice quodam legitur الدهر, in alio cod. العمر, utrumque est fortasse e Scholiastae cujusdam interpretatione ortum. Vid. v. d. Sloot. In edit. Calc. est quoque الدهر.

38. Ipsa *tamen* fortasse, si esset mea virtus istorumque vilitas perspecta
Ejus oculis, obdormiret istos negligens, aut evigilaret mihi.

39. Lacto *certe* animum spe mea, avide captata.
O! quantae forent hujus vitae angustiae, nisi eam spes amplificaret!

40. Non *enim* penitus acquievi in vitae conditione, dum dies veniebant;
Quomodo ergo acquiescam, dum recedunt festinanter?

41. *Sed* animum meum cognovit aestimavitque mens mea pretiosissimum,
Itaque a vilissimorum hominum vulgari conspectu illum recondo.

42. Solet *enim* ensis suo fulgore semper micare,
Licet nil efficiat, nisi manum sortita herois.

43. Non optaveram, ut aetas mihi protraheretur,
Dum in altum tolli viderem hominum mancipia et populi faecem.

44. Anteposit sunt mihi homines, quos currentes
Ego lente incedens longo post me intervallo linquebam.

45. Sic *ergo* vota exaudiuntur ejus, qui, quum aequales obirent
Ante ipsum, optabat ut sibi vitae terminus protenderetur!

vs. 41. Pro مبتذَل *abjectus*, quod unice convenit cum praecedentibus, in uno codice secundum Pocockium legitur مبتذِل, *sui prodigus*; minus etiam recte secundum v. d. Sloot in alio cod. مبتدَل, *mutabilis*. Probam lectionem habet edit. Calc.

vs. 42. Pro النصل explicandi causa in uno codice secundum v. d. Sloot scriptum est السيف. In uno item codice pro يزهي est forma activa يزهو.

vs. 44. Pro اناس inepte in uno codice substitutum videtur مرجبل. Pro ان legi potest اذا vel لو, quod alibi exstat. Vid. v. d. Sloot. In edit. Calc. est فلو.

vs. 45. Male in edit. Lugd. Bat. pro مِن legitur في.

وان علاني من دوني فلا عجب
لي اسوة بانحطاط الشمس عن زحل ۞

فاصبر لها غير محتال ولا ضجر
في حادث الدهر ما يغني عن الحيل ۞

اعدي عدوّك ادني من وثقت به
فحاذر الناس واصحبهم علي دخل ۞

فانّما رجل الدنيا وواحدها
من لا يعوّل في الدنيا علي رجل ۞

وحسن ظنّك بالايّام معجزة
فظنّ شرّا وكن منها علي وجل ۞

غاض الوفاء وفاض الغدر وانفرجت
مسافة الخلف بين القول والعمل ۞

وشان صدقك عند الناس كذبهم
وهل يطابق معوجّ بمعتدل ۞

ان كان ينجع شيءٌ في ثباتهم
علي العهود فسبق السيف للعذل ۞

vs. 46. Pro بانحطاط vitio typographico apud v. d. Sloot est بانجطاط. Apud Ibn al Djouzium l. l. est في انحطاط.

vs. 47. Deest hic versus in edit. Lugd. Bat., deest etiam in duobus codd. secundum v. d. Sloot. Plura de hac re in explicatione carminis dicam.

vs. 49. Pro فانّما non legendum videtur وانّما. Vid. v. d. Sloot.

46. At superari me ab inferiore, non mirum.
Solatio mihi est, Solem ipsum deprimi infra Saturnum.

47. Sustine ergo talia, *quisquis es*, sine dolis aut animi perturbatione!
Et vero fortunae calamitates dolos omnes reddunt irritos.

48. Inimicorum tibi inimicissimus est, cui familiarissime confidebas,
Cave ergo tibi ab hominibus, iisque prudens adesto socius.

49. Enimvero ille demum vir est isque princeps hujus aevi,
Qui non nititur in viro hujus aevi quoquam.

50. Quod bene existimas de his temporibus, mentis est imbecillitas:
At existima male, ab iisque tibi metue!

51. Exarescit fides, abundat perfidia; magnumque patet
Intervallum inter opposita sibi dicta et facta.

52. Infamantque tuam veracitatem apud homines mendacia ipsorum.
Quid enim? Curvumne cum recto congruat?

53. Si quid sit, quod juvet, ut istorum firmior sit fides
In promissis, hanc in rem antecedat gladius reprehensionem.

vs. 50. Legendum esse وكن non او كن, jubet codicum auctoritas secundum v. d. Sloot, confirmat etiam editio Calc.

vs. 53. Legendum censeo ينجع non ينفع propter codicum auctoritatem. Vid. v. d. Sloot. Accedit etiam editionis Calc. confirmatio. Recte quoque monet v. d. Sloot pro في non legendum esse من.

يا واردا سور عيش كلّه كدر
انفقت صفوك في ايّامك الاول ۞

فيم اقتحامك لجّ البحر تركبه
وانت يكفيك منه مصّة الوشل ۞

ملك القناعة لا يخشي عليه ولا
يحتاج فيه الي الانصار والخول ۞

ترجو البقاء بدار لا ثبات لها
فهل سمعت بظلّ غير منتقل ۞

ويا خبيرا علي الاسرار مطّلعا
اصمت ففي الصمت منجاة من الزلل ۞

قد رشّحوك لامر ان فطنت له
فاربا بنفسك ان ترعي مع الهمل ۞



vs. 54. Recte Pocock. monet, non scribendum esse الاوّل sed الاول, quod etiam legitur in edit. Calc.

vs. 55. Pro اقتحامك legitur in uno codice secundum v. d. Sloot اعتراضك, quod vertendum esset *mare tanquam difficilem camelum conscendas*. Obstat reliquorum codicum auctoritas.

vs. 56. Pro ملك e perverso interpretandi aut corrigendi studio in uno codice orta est lectio كنز, quod *thesaurum* significat, cum ملك et *possessionem* indicet et *regnum*.

Post hunc versum in uno codice secundum v. d. Sloot, praef. p. 16. additur versus, qui spurius est, ut in explicatione carminis ostendemus.

54. Heus tu, qui vitae reliquias hauris ab omni parte turbidas!
Quicquid te limpidi manebat, diebus tuis prioribus consumsisti.

55. Quid vero in maris, quo veheris, profundissimos fluctus irruas praeceps:
Tu, cui satis est paucas ex eo sorbuisse guttulas?

56. In regno animi sua sorte contenti non est quod quis metuat, aut
Studiose quaerat adjutores atque custodes.

57. Speras perenne quicquam in hoc *terrae* habitaculo? Nulla ei stabilitas!
Quid enim? Audistine *unquam* de umbra, quae non transiret?

58. Tu vero solertissime, qui ima rerum penetralia perspicis,
Sile; solo enim in silentio perfugium est a lubricis omnibus tutum!

59. A teneris ad dignitates sis informatus; has licet gerere noris,
Cave tamen tibi, ne pastum eas cum camelis sine custode oberrantibus!



vs. 57. Recte se habere videtur lectio recepta. In uno codice pro بقاء est الخلود *perenne* et pro ثبات est بقاء. Utrumque vero e glossa ortum videtur. Vid. v. d. Sloot. Certe plane perversa est lectio unius codicis, in utroque loco بقاء habentis. Vid.id. praef. p. 15.

vs. 58. In uno codice, secundum v. d. Sloot, pro خبيرا est امينا *constans* et pro الزلل est الخلل *infirmitas.* Neutrum vero placet, neque satis auctoritatis habet.

vs. 59. In priore parte versus a nonnullis legitur لو pro ان, quod fortasse explicandi causa pro eo substitutum est, ne ان vim conjunctionis *ut* habere videretur, qualem habet in posteriore versus parte.

ANNOTATIO.

Ad vs. 1, 2.

In hoc carminis exordio statim perspicimus, quomodo fuerit affectus poëta, quum canendi faceret initium. Continuo sentimus, quae ille tum sensit, et ad animi, qua erat, altitudinem efferimur. Scilicet vehementi erat animi affectione Tograjus, quum hoc carmen componeret; et, quod in lyrica poësi videmus, si quis sensu abreptus canat, primum quidem non narrat aut historiam suam refert, sed quid sentiat, aut velit, aut fieri cupiat, verbis exprimit.

Itaque poëtam videre mihi videor prope urbem Bagdadi in loco quodam solitario versantem, ac seorsim a camelis suis comitibusque solum sedentem. Cogitat de afflictissima sua sorte, qua divitiis honoribusque omnibus privatus, neminem fere habet, ad quem se vertat, nulla re sustentatur aut erigitur. Cogitat de pristina sua gloria, qua gavisus in aula fuerat juvenis. Cogitat de praesenti sua humili conditione, qua senex peregre vagatur. At vero ex hac moestitia erigit se ad virtutis illius et fortitudinis recordationem, in qua et fuerat ipsi olim et nunc quoque erat maximum felicitatis praesidium. In hac ergo gloriam, in hac honores, in hac praecipuum sentiebat esse hominis ornamentum. Quam ob rem in medio calamitatum sensu, quibus agitabatur et veluti tundebatur, tandem in hanc vocem erumpit: *Immota mente consisto, non vacillabo!*

Vs. 1.

Vs. 1. اصالة *Immota constantia.* Nomen hoc de *fortitudine* usurpatur, eique oppositum خطل de *turpitudine* et *dedecore.* Sed illud derivatur a verbo اصل quod notionem habet *firmas radices agendi:* quam arboris, altis radicibus consistentis, imaginem esse poëtae menti obversatam, colligere licet ex opposito nomine, cui propria est *vacillandi* notio. Est ergo imago Virgilianae illi similis, qua Aeneas cum valida quercu comparatur, quae, quamvis ventis agitata,

Ipsa haeret scopulis: et
— — — *radice in tartara tendit* (1).

Sed Virgilius in eo loco singulas imaginis partes explicat et ornat. Contra, quod in optimis Arabum poëtis frequentius est (2), Tograjus, hanc imaginem leviter perstringens, aliam ei subjungit novam.

حلية *Decus.* A monilibus desumtae similitudines Orientalibus hominibus perquam placent (3). Quod hoc loco significatur, dixit etiam rex Amrou, *non in cingulo aut veste versicolore, sed in virtute verum esse decus* (4), et Paullus Apostolus foeminas jubet *condecorari non auro, non margaritis, non vestibus sumtuosis, sed, in quo verum decus est, pudore et modestia* (5). Solent autem in Oriente cum alii magistratus, tum Vesiri torque aureo insigniri. Itaque cum vs. 36, 43, 44, 46, 59. significet poëta, se eximiis quibusdam honoribus esse privatum, cumque Vesiratum ei abrogatum fuisse noverimus, hoc ipsum etiam h. l. indicasse censendus est, illud laudans decus, quod neque hominum perfidia eripi, neque surripi temporum injuria potest, quo si quis est ornatus, is caeteris ornamentis et honorum insignibus facile careat. Simili venustate, ac forte etiam simpliciori, Salomo parentis monita adolescenti commendat, dicens ea *pulcram esse in capite sertam et torquem in collo atque monilia* (6). Haec autem pueris arrident, Vesiralis vero torques gravius quiddam est et magis virile.

Cae-

(1) Aeneid. IV. vs. 441. sqq.
(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 37.
(3) Conf. ibidem p. 49, 50.
(4) Excerpta Ham. p. 476. vs. 1, 2.
(5) 1 Timoth. II. 9, 10.
(6) Prov. I. 9.

Caeterum duplex est in hoc versu paronomasia; altera in utraque versus parte media, qua verba صانتني et زانتني eundem fere sonum habentia, versum reddunt auribus suaviorem; altera in verbis فضل et عطل quae cum sono sint simillima, significationem habent plane oppositam: quo ipso augetur dicti acumen.

Vs. 2. والشمس *Ipse etiam sol.* Duorum nominum et *gloriae* et *solis* repetitio vim orationi addit et sono suavitatem. Copulam و malo interpretari h. l. Latino *etiam*, quam *prouti.* Non tantum enim poëta comparat se cum sole, sed potius soli aequiparat gloriam suam et ejus exemplo allato collustrat. — Poëta aliquis antiquior heroëm laudans, qui majoribus suis par esset honore, *lunae* imagine usus est, *quae nocte media similis est lunae tempore matutino* (1). Longe vero illustrior est Tograji oratio. Nam verba رأد الضحى vulgo adhibentur de *ea diei parte, qua sol aliquamdiu post auroram latius splendet, nec tamen ad meridiem pervenit*, quaeque adeo rite comparatur juventuti, qua summo fuerat gloriae splendore poëta. His oppositum vocabulum طفل, de *coelo offuscato obductaque ei rubedine* dictum, usurpatur de parte diei, qua sol ad occasum vergit, aptam praebens imaginem senectutis, qua vir fortis quamvis a fastigio aetatis ad vitae terminum decedens et de illustri gloriae splendore aliquantum remittens, vi tamen sua et quadam majestate erat conspicuus. Solent autem, uti ad vs. 40. dicemus, interdum Arabes maturam hominis aetatem tanquam vitae medium aut fastigium considerare, ad quod accedat juventus et a quo senectus recedat, prouti sol et adscendit ad meridiem et ad occasum inclinans descendit. Hoc ad imaginis convenientiam, sed ad splendorem ejusdem pertinet, quod sol in coelo Orientali nullis plerumque obscuratus vaporibus, nullis nubibus obvelatus magnificentius splendet. Denique singularis observanda est Tograji conditio, qui, quamvis juvenis in omnium conspectu fuisset collocatus, decursa contra aetate a pristino dignitatis gradu decessisset, veram tamen gloriam servaverat constanter, quae etsi a paucis celebretur, perpetua virtutis comes est atque imago. Hanc vero cogitans senex, mihi quidem, collato vs. 36, 38, 46., videtur hunc versum composuisse, dum prope Bagdadum

(1) Vid. Pocock. et v. d. Sloot ad h. l.

dum solem videret orientem; quare: Non est, inquit, quod in virtutis splendore aestimando aut aetatis cursum spectes aut altiorem honoris gradum; sol quoque ille, uti nunc splendet, ita in occasu suum servabit fulgorem.

Ad vs. 3 — 7.

„ Quid morarer Bagdadi?" Sic improviso de fatis suis loqui incipit poëta, subitoque nos in mediam rem rapit. Quod uti magnam vim in poësi habere solet, ita Tograji fortunae est consentaneum vehementique, qua erat, animi commotioni. Etenim postquam primum animi sensus effudisset vs. 1, 2., derepente oculos ad proximam Bagdadi urbem convertit, et cum indignatione significat, nolle se illic manere, non placere hoc diversorium, in quo post longum molestissimumque iter frustra erat commoratus, vs. 3, 4. Illuc enim profectus fuisse videtur exsul, non ut consanguineos adiret, qui aut Mosule aut Ispahane videntur degisse, sed ut vel pristinos quosdam inviseret amicos, vel certe mercatura faciunda res suas, inimicorum perfidia plane collapsas, aliquantum restitueret. Quod ut colligi potest e vs. 8., ita huic rei aptissimum erat Bagdadum, in qua celebri urbe mercatus habebatur (1). Sed spem fefellit eventus. Quae res aliquam misero homini movit indignationem. At vel sic tamen fit paulatim vox ejus flebilior et amicorum desiderio plena omninoque moestissima, vs. 4, 5., atque sensim delabitur poëta ad calamitates suas et itineris jam facti molestias describendas, vs. 6, 7. In quo toto loco auditur senis infelicis querimonia et dolor.

Vs. 3. بالزوراء *Bagdadi.* Non consueto *Bagdadi* nomine hanc urbem vocavit poëta, sed rariori quodam et minus usitato, quod placet fere in carminibus. Est autem hoc *Zaurae* nomen poësi aptissimum, quippe quod ipsam urbis formam quodammodo effingat. Nam cum esset ea rotunda et duplici muro cincta, essentque interiores portae oblique sitae, ut non plana inde tenderet via ad portas exteriores, hinc urbs nomen accepit a *distorquendo*; quasi dicas *urbem obliquam et distortam* (2). Quae cum sit nominis signi-

(1) Vid. Abulphar. H. D. p. 219. vers. Lat. p. 142.
(2) Vid. Pocock. et v. d. Sloot ad h. l. et ibi laudatus Schultens.

nificatio, cumque soleant poëtae Arabes ambiguitatem consectari, quae est in nominum propriorum significationibus (1); suspicari possis, non sine contemtu hanc ab homine indignanti usurpatam esse *urbis distortae* appellationem.

لا ناقتي *Non camela est*, rel. Proverbium Arabicum est: *Nullus illic mihi est camelus.* In quo cameli masculinum et foemininum nomen jungitur utrumque, ut significetur nullum omnino illic esse camelum. Camelus foemina autem proprie appellatur *lactans* ناقة, uti saepius adjectiva pro substantivis ponuntur (2). Originem proverbii ut explicent Arabes, principis bellici, nescio cujus, historiam narrant (3). Et fieri potest, ut hujus primum exemplo ea dicendi ratio sit nobilitata; ejusdem vero origo a bello repetenda non videtur. Sed Arabes, uti hic ipse poëta noster, saepe peregrinantur, utunturque unice camelis, quibus et ipsi vehantur et onera sua portanda curent. Itaque mihi videtur antiquus aliquis Arabs ex ejusmodi itinere una cum dilectissimis camelis redux, cum regionem, in qua fuerat, et peregrinos istos valere juberet, dixisse: *Nullus istic mihi amplius camelus est;* unde illud in proverbium postea abierit. Verum quicquid de origine statuas, usurpatur id certe ab iis, qui dicunt sibi cum loco quodam aut re aliqua nihil esse commune, nihil in iis esse, quod sibi curae cordive sit (4). Adhibetur autem a Tograjo ita, ut non longe ab origine sua abesse hoc adagium, sed ex ipsa illius conditione fluxisse videatur, neque potuit pulcrius usurpari, quam a viro, qui cum camelis, quos circum se habebat, res suas omnes contineri videret, nihil quicquam Bagdadi reliquerat; atque adeo huic urbi vale dicens, acute: *Istic*, inquit, *camelus mihi nullus!*

vs. 4. صفر الكف *Manibus opum vacuis.* Est haec inopiae descriptio minime rara Orientalibus, qui solent hominis conditionem ipsa corporis forma quasi depingenda declarare (5): at eo ipso tamen misericordiae movendae apta, cum a viro inope proficiscatur. Eadem imagine ab Haririo descri-

(1) Vid. Cl. Willmet ad Antar. p. 122 sq.
(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 49.
(3) Vid. v. d. Sloot ad h. l.
(4) Vid. Pocock ad h. l.
(5) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 38.

scribitur vir ditissimus, cui veluti bellum indixerit Fortuna et quem moerorum invidiaeque et calamitatum, tanquam exercitus cujusdam, armis impugnaverit, donec, caeteris omnibus vastatis, et *manus ejus opibus vacuae essent et gregibus ovile* (1). Sed haec ornatius dicta sunt. Verecundius dixit Tograjus similiusque Homero, qui Ulyssis socios fingit querentes, *hunc quidem esse ditissimum, se vero in patriam redituros manibus vacuis*, κενεὰς σὺν χεῖρας ἔχοντες (2).

الخلل *Pulcro tegumento*. Haec vox et *vaginam* auro gemmisque *ornatam*, qua decorari Arabum ditiorum gladii solent, et *thecam* coriaceam significat, qua subinde conditur vagina illa, ne detrimentum capiat (3). Insolentior nobis est haec gladii similitudo, Arabibus adamata (4). Sed cogitandus est heros, qui gladium et semper et hoc ipso tempore gerit, quique hunc gemmis splendentem longe existimat ditiorem, quam sese, opibus quippe pristinis destitutum. Neque tamen solus spectandus est ornamentorum defectus. Nam cum alii cuidam rei vel pallio se comparare poëta potuisset, coloribus gemmisque privato, ensis imaginem praetulit, qui, collato vs. 42., quamvis ornatu omni destitutus sua se commendet praestantia. Quocirca uti recte alius quidam poëta: *Quodsi in vestitu esset gloria viri, in gladio sola vagina et baltheus spectarentur*; (5) ita graviter Tograjus gladio se dixit similem, nudo illi quidem omnibus ornamentis, at gladio tamen eique praestantissimo.

Vs. 5. In versibus anterioribus et in proxime antecedenti variis veluti gemmis distincta est oratio. In hoc versu simplex est poësis et verecunda; placet autem verborum delectu atque venustate et animi quadam teneritate. In binis enim versus partibus verbis verba respondent singula et vocalibus vocales: qui insignis parallelismus et auribus placet et gravitatem orationi addit (6). Ad desiderium autem significandum amicitiae illius, quae, ut Ci-

ce-

(1) Consess. III. p. 130 sq.
(2) Odyss. K. vs. 42.
(3) Vid. Pocock. ad h. l. et Golius Lex.
(4) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 58.
(5) Vid. v. d. Sloot ad h. l.
(6) Conf. de parallelismo comment. nostra P. I. C. II. p. 46.

cero ait, et secundas res splendidiores facit et adversas partiens communicansque leviores, nihil dici potuit pulcrius, quam quod ait Tograjus, sibi, dum mala patiatur multa, non esse amicum in cujus sinum querelas possit effundere, et si quae etiamnum accidant laeta, insuavem hanc fore laetitiam, cum non habeat quocum laetetur. Fortasse, collato vs. 45., olim Bagdadi quosdam habuerat amicos, qui, ut reliqui omnes, jamdiu essent morte erepti.

Vs. 6. اغترابي *Peregrinatio mea.* Hoc suum iter vs. 6 et 7. ita describit poëta, ut omnia prope oculorum auriumque sensui sint subjecta. Camelus prae itineris diuturnitate fatigatus est, hastae continuo motu collisae strepentesque, fracta prope per assiduam concussionem sella camelina, in qua sedet peregrinator. Solent enim viri nobiles in quibusdam domunculis jumentorum dorso impositis degere una cum supellectili omni, qua in itinere opus est (1). Iis autem itineris molestiis indicandis apta sunt vocabula singula. Camelum vocat poëta *itineri aptum* راحلة et quasi molestiarum patientem. Pariter hastis non proprium suumque tribuit nomen, sed adjectiva pro substantivis adhibens, tales appellavit, quales eas nunc ipse videret, *tremulas* atque *tenues*, عسالة, ذبل. Imo quo magis harum motum veluti oculis effingeret, *cuspides* earum nominavit, sive potius, haec enim vis est nominis قرى, utrasque *partes extremas* inferiores aeque ac superiores, quae praecipue quassabantur.

حن *Ingemisceret.* Exquisitum hoc quoque est vocabulum. Dicitur id proprie de sono, quem e gutture edunt cameli de prole *queritantes.* Hoc loco de eo adhibetur, qui *prae defatigatione gemit*, supplicans, uti ait Scholiastes, ut tandem aliquando ab itineris molestiis requiescere liceat. Quod cum de camelo dicat peregrinator, sellae quoque et hastarum gemitum audire sibi videtur, et his quoque lassitudinem tribuit et dolorem. Similiter poëtae Arabes saepe rebus inanimatis vitam, et camelis prudentiam, fidelitatem et magnanimitatem attribuunt (2); atque Antara *equum suum lacrymis hinnituque secum* fingit *querentem* (3).

Vs. 7.

(1) Vid. Scheidius Syll. Dissert. Leidens. p. 990 sq.

(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 39. et Cl. Willmet ad Antar. vs. 28. p. 168. Simile quid videas apud Horatium Carm. L. I. O. 14. vs. 5, 6.

(3) Moall. vs. 69, 70. Conf. Cl. Willmet p. 230 sqq.

Vs. 7. الغي *Attingerem*, rel. Interpretari possumus hunc locum vel *clamaret ob id, quod patior, jumentum meum*, vel *clamaret propterea quod attingerem stapedes.* Et sensus quidem uterque bonus est. Verum ex priori illa interpretatione languet repetita cameli commemoratio in eodem versu, et, quod maximum est, longius distat nomen ركاب a verbo عج, alio etiam verbo intercedente; quod si non inusitatius est in stylo Arabico, est certe minus simplex.

Est autem in hoc versu maxima et rerum copia et brevitas dictionis. Videmus itinere defatigatum camelum, socios Tograjo repugnantes atque ita nolentes ulterius procedere, ut inter se litigent, quis primus eum sit reprehensurus. Ipse vero heros, ad iter denuo aggrediendum paratus, pedem stapedi admovet. Audiuntur interim murmur et mixtae inter se camelorum hominumque voces; idque eo magis quasi auribus percipitur, quandoquidem verba in eundem sonum desinentia adhibentur وضج, وعج, ولج *et creparet, et clamaret, et litigaret.* Aptum praeterea nomen dedit camelo suo نضو, quod significat *animal itineris celeritate emaciatum.*

Ad vs. 8 — 11.

In calamitatibus suis describendis ita versatus est Tograjus, ut magis magisque ejus misereamur eumque tandem censeamus infelicissimum. Primum enim bonis omnibus, deinde etiam propinquis amicisque privatum sese dixerat: postea itineris insuper molestiis et comitum suorum reprehensionibus ad angustias compulsum. Needum haec malorum erat summa; hanc enim molem omnem facile tulisset heros, dummodo, quod spectabat his itineribus, propositum esset assecutus, ut nancisceretur, quo generosam exerceret liberalitatem. Sed et hanc spem fefellerat eventus, ipsique frustra peregrinato nihil supererat, nisi una domum redeundi opportunitas, vs. 8, 9. Veruntamen in hac gravissima moestitia, qua prope jacebat oppressus, subito erigitur laetiori quadam cogitatione. Etenim gravatos dolore oculos repente ad socium convertit, quem inde a juventute habuerat, virum optimum. Quo viso exhilaratur et hujus laudibus celebrandis delectatur, vs. 10, 11.

Quodsi ita, ut feci, singularum partium constituatur vinculum, apte omnia

nia cohaerent leniterque fluit oratio. Golius vero, Pocockius et reliqui, qui de hoc carmine publice suam sententiam professi sunt, omnes, uno excepto Hirtio (1), ita hunc locum acceperunt, ut inde a vs. 10. novum argumentum tractari censerent, neque ullo fere modo cum antecedentibus conjunctum. Consentit scholiastes aliquis Arabs (2), addens, fieri id pro more poëtarum Arabum, qui saepe ab alia re ad aliam derepente transeant. Ego vero fateor, minus illud pulcrum mihi videri et quoddam vitium carminis, si poëta, cum antea de sua infelicitate esset questus, subito has suas res omnes transsilierit, ut ad comitem, nescio quem, describendum accederet. Sed illius sententiae origo in hoc videtur fuisse, quod vs. 10. genitivus vocis وذي non aliunde repeti posse statueretur, quam e vi particulae و pro وربّ, ut interpretandum foret: *fuit forte aliquando mihi socius.* Verum pro dicendi ratione poëtarum Arabum (3), rite vocabulum ذي cum antecedenti voce بالقفل potest conjungi, ut uterque genitivus ab hac propositione ب pendeat. Quod si teneatur, eximii erunt dicendi hi versus, quibus poëta cum prope ad desperationem coactus dixisset: *Nil mihi superest nisi una domum redeundi opportunitas*, subito addit: *Et vero socius mihi superest, vir optimus atque dilectissimus.*

Vs. 8. بسطة كف *Opes*, rel. Proprie vertas: *quaerebam manuum expansionem, qua adjuvante Magnanimitati, quae mihi comes adest, debita solverem.* Antea vs. 4. *manibus vacuum* Tograjus dixerat inopem virum; saepiusque apud Orientales *manum claudere* (4) et *eam contrahere* (5) dicitur avarus; contra *manum aperire* (6) et *expandere pauperi* (7) homo liberalis. Hinc

(1) Anthol. Arab. in annot. ad vs. 10. p. 147.

(2) Apud v. d. Sloot ad h. l.

(3) Exempla hujus constructionis videas in Cl. Pareau Com. de Ibn Doreidi poëm. laud. p. 117, 118. in annot. Conf. Exc. Ham. p. 322. vs. 6, 7. Pariter fit, ubi non adest praepositio; Exc. Ham. p. 326. vs. 1, 2. p. 356. vs. 4, 5. Conf. etiam ibid. p. 376-382. vs. 1, 2, 3.

(4) Deuteron. XV. 7.

(5) Harir. Cons. VI. p. 240. Conf. annot. p. 241.

(6) Deuteron. XV. 8, 11. Psalm. CIV. 28. CXLV. 16.

(7) Proverb. XXXI. 20.

Hinc ergo quoddam quasi nomen proprium desumsit poëta, quod daret Divitiis. Et has quidem sibi finxit tanquam *adjutrices*, quarum ope ad exercendam liberalitatem indigeret. Verbum enim استعين aut significat *adjuvarer*, aut *opem implorarem*.

Vox قبلي *penes me* vel ad proxime antecedens علي referri potest, ut sit: *Magnanimitati quae penes me versatur*, i. e. *comiti meae*, vel ad remotius حقوق, ut reddatur latine: *debita quae penes me sunt*, i. e. *quae equidem Magnanimitati debeo*. Sed id quomodocunque dixerit poëta, significavit certe perpetuam quasi comitem sibi esse Magnanimitatem, flagitantem, ut misero cuique succurrat et benefaciat pauperi. Quae quidem eximia est animi magnitudo, et vere *excelsitas*, علي, dicenda; qualis non rara quidem est Arabibus (1), sed in Tograjo praecipue laudanda, quippe qui, opibus omnibus privatus senex, non tam id aegre ferret, quod minus laute ipsi vivere liceret, sed hoc maxime doleret, quod non posset amplius ex Mohammedis praecepto manus suas expandere in pauperum gratiam (2).

Vs. 9. يعكس *Repulit.* Malui propriam *inflectendi*, *convertendi*, *retroagendi* significationem in hoc verbo fere exprimere quam tropicam adhibere *pervertendi*, *perdendi*. Spem describit senex tanquam suavissimam ac paene solam sibi superstitem itineris comitem, quam tandem ipsam quoque amiserat, retroactam et velut a Fortuna repulsam. Similiter Ibn Doreidus *Spem* describit tanquam sociam, verum ejusmodi illam, quae non fugata sit, sed *quae ipsa in fugam agat planeque pellat Desperationem* (3).

بالقفل *Reditu.* Est hoc acute in Fortunam dictum. Recusaverat Fortuna Tograjo omnia bona; unum ei concesserat. Quodnam vero illud? Contentum esse eum hac re jusserat, ut re infecta domum rediret. Sed placeat id magis etiam Arabum auribus. His enim proverbium est: *Loco praedae contentus sum reditu*, de iis adhibitum, qui proposito excidunt (4). Exquisite vero illud adhibuit noster, qui non tantum proposito exciderat, sed

(1) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 63, 64.
(2) His ipsis verbis munificentia designatur Cor. C. XVII. 31. Conf. C. II. 2.
(3) Carm. vs. 43.
(4) Vid. Pocock. ad h. l.

sed et in eo ipse erat, ut sine bonis ullis in patriam reverteretur. At exquisitum hunc proverbiorum delectum, antea jam, ad vs. 3., in poëta admirati sumus.

Vs. 10. وذي *Et hoc socio*, rel. Haec proprie vertantur: *et hoc procera statura praedito.* Nomen *viri* aut *comitis* in Arabicis non est; nam eum non longe disstantem aut digito demonstrans aut certe intuens oculis, poëta solam ejus nominat formam proceram, qua unice delectabatur.

صدر الرمح *Hastae longissimae:* proprie *cuspidi hastae;* e cuspide autem, juxta viri caput sese efferente, hastae longitudo conspiciebatur. In posteriori membro vocem بمثله cum subsequentibus conjungo; ut proprie vertendum sit: *socio*, *ad similitudinem hastae non timido.* Quod autem placet in poësi Arabica, ut ab iis ipsis rebus, quae ante oculos positae sint, similitudines capiantur (1), id frequens est in Tograjo. Antea gloriam suam comparavit soli, quem videbat orientem, deinde similem sese dixit gladio, quem ipse gerebat. Nunc socium videt camelo insidentem et pulcra munitum hasta, ipsum pulcerrimum. Itaque ab hac hasta duplicem sumit comparationem, alteram procerae staturae, quae laudari in viro maxime solet ab Arabibus; fortitudinis alteram et virtutis bellicae. Similiter alibi heros *difficultates* dicitur *persecans omnes*, *secanti ornatus gladio* (2). In nostro autem loco fortitudo ipsi etiam tribuitur hastae. Nec mirum; solent enim Arabes hastas sibi fingere sitientes et caedis avidas sanguinemque bibentes e vulneribus (3).

Vs. 11. Hunc versum verbis rite explicare vix possum, sed miram quandam ei inesse sentio et dulcedinem vocabulorum et molliter fluentem orationem; et vero socii animus describitur amabilis simul et admirabilis. Sententiam si spectes, similis quodammodo est versus poëtae, mortuum amicum lugentis (4):

اذا

(1) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 36, 37.
(2) Exc. Ham. p. 430. vs. 15.
(3) Vid. Cl. Willmet ad Antar. p. 226.
(4) Exc. Ham. p. 550. vs. 4.

اذا جدّ عند الجدّ ارضاك جدّه
وذو باطل ان شئت الهاك باطله *

Cum gravis esset in gravibus, placebat tibi gravitas ejus;
Cumque jocaretur, si velles, delectabat te ejus jocatio.

Comparationem autem acerbitatis dulcedini oppositam habet quoque Antara, cum dicat, *suaves esse suos mores, verum, si injuria afficiatur, non minus eosdem esse amaros, quam colocynthidem* (1). Verum Tograjus non tantum dulcia acerbis sed et durioribus mollia miscet; unde exsistit grata quaedam veluti commixtio sensuum.

Εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν,
Τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.
Dulcemque amicis esse, inimicis acerbum,
Illis quidem venerabilem, his vero terribilem visu (2).

Est vero et in his Solonis et in illis Tograji verbis ejusmodi venustas, quae vertendo exprimi rite non potest. Verba ipsa Arabica sunt legenda.

Ad vs. 12 – 29.

Progredimur ad spectandum locum, qui magnam occupat carminis partem. Continet ille expeditionem aliquam sive peregrinationem, amoris causa susceptam. Caveamus vero, ne hanc peregrinationem eandem esse existimemus, de qua huc usque dixerat poëta; alia plane est et longe alio tempore peracta. Primo enim altera expeditio nocturna erat, diurna altera. Deinde iter illud, in quo versabatur, dum carmen hoc componebat, non amoris causa susceptum erat, sed divitiarum et mercaturae. Tum neque senem decebat puellae causa peregrinari, neque viro infelicissimo placere illud poterat. Porro in hac ipsa re amatoria peragenda versatus fuerat prope montem Idami, qui Meccam inter et Medinam situs est; in praesenti vero itinere urbem Bagdadum petierat. Denique tota illa expeditio amatoria juvenilem spirat vigorem; quam adeo ille juvenis perfecisse videtur.

Sed

(1) Moall. vs. 35, 36. Conf. Cl. Willmet ad eum locum.
(2) Vid. Brunck. Poët. Gnomic. Graec. p. 74.

Sed quo tandem haec consilio, aut qua opportunitate narravit? Nam cum referenda re afflictissima occuparetur, quo modo poëtae in mentem venire, aut quo consilio narrari potuit illius facinoris historia omnium suavissima ac fortunatissima? Dicam, quod sentio, idque breviter. Neque enim mihi persuadere possum, nullum huic loco cum antecedentibus intercedere vinculum. Id eos video statuisse, qui inde a vs. 10. novum censerent inchoari argumentum. Quod vero cum ostenderimus minus probabiliter statui; ostendimus simul continuam indivulsamque esse in toto hoc loco orationis seriem. Et possit quidem ejus rei ratio haec haberi, quod jam vs. 10, 11. in socio suo laudando versatus erat poëta; in quo igitur argumento cum pergere vellet, expeditionem narraverit, in qua hunc ipsum expertus fuerat comitem fidissimum. Quod si cui sufficere videatur, id teneat, neque enim repugno equidem, et vero idem vehementer hoc affirmo. At vero in his versibus comitem non ita laudat Tograjus, ut eam solam ob causam videatur rem illam totam fusius retulisse. Sed alia accessit causa, eaque gravissima. Etenim haec est hominum natura, ut, si maximis affligantur calamitatibus, serenam aliquam vitae conditionem aut perceptam lubenter recordentur, aut degustatam ornatius celebrent, aut optatam pulcre effingant, quo melius erigant sese, et, si non praesentibus bonis, at praeteritis saltem aut animo confictis delectentur. Est haec praesertim senum delectatio, ut senectutis doloribus fatigati juvenilium voluptatum memoria requiescant et quae sibi antea acciderint, impense laudent. Eadem et aliorum poëtarum Arabum ratio fuit (1) et Tograji. In mediis doloribus socium videt senex, eundemque recordatur sibi in juventute gratissimorum facinorum comitem fuisse: et hac veluti suavissima aura abductus, quocunque feratur, vela dat et in ultimam pervehitur juventutis memoriam. Quod quidem dolorum refugium nactus, in rebus juvenilibus describendis mirum quantum sibi placet.

Diximus vero antea, hanc recentiorum poëtarum Arabum consuetudinem esse, ut ejusmodi expeditiones amatorias fingant, iisque longiora quaevis carmina ornent (2). Itaque Tograjus etiam videri possit hanc relationem non

(1) Exemplum illustre videas in Amralkeisi Moal. vs. 10 sqq.
(2) Vid. comment. nostra P. I. C. II. p. 53, 54.

non ex rerum veritate et vitae suae historia expressisse, sed ex ingenio depromtam finxisse poëtice. Et vero hanc suspicionem equidem non plane rejiciendam esse arbitror; contra expeditio illa mihi videtur a poëta propter id ipsum uberius fusiusque esse descripta, ut artis poëticae obtemperaret praecepto. At vel sic tamen illud facinus non omnino fictum, sed partim ex historiae recordatione petitum, partim ingenio adornatum esse, mihi persuadet cum gloriosae juventutis antea jam facta commemoratio vs. 2., tum loci hominumque in hac narratione appellatio diserta vs. 17., tum denique universa in animi sensibus declarandis species veritatis. Certe hanc, quam ars ipsa postulabat, digressionem ita cum reliquo carminis argumento conjunxit Tograjus, ut animi, in pristinae felicitatis memoria requiescere cupientis, impetu atque natura, magis quam artis praecepto ductus esse videatur.

Ad vs. 12, 13.

Cum ergo nocturnam illam expeditionem narrare aggrediatur poëta, describit comitatus sui et illius praestantissimi socii conditionem vs. 12, 13.; deinde relaturus, quid huic ipse dixisset et quodnam cepisset consilium. Nox erat media, tranquilla et obscura. Luna non lucebat. Serenum erat coelum. Fulgebant stellae. Omnia erant alto somno consopita. Solus vigilabat Tograjus. Nempe magnum quoddam facinus volvebat animo, hac ipsa nocte exsequendum. Longius ergo prospiciens, Idami illum montem, quo tendit, cernit obscure. Ignis vero illic splendet in hospitum gratiam accensus. Hunc conspicit. Sed vero etiam ipsas ibi latentes puellas jam videre sibi videtur earumque odorare unguenta. Itaque suavissimam, quam amat, adolescentulam adire cupit. Sed solus id perficere nequit; quamvis autem cameli progrediantur, dormiunt tamen comites plerique. Igitur subito ille vel magna voce clamans, vel e camelo suo descendens, socium eximium illum et dilectissimum cum impetu e somno excitat.

Vs. 12. سرح الكري *Gregem somni.* Somnus et somnia gregi comparantur ovium, oculi fontibus quo ad bibendum conveniunt, nox pastori eas ducenti. Sunt autem singulae voces huic imagini consentaneae. *Grex* vocatur

tur سرح, quasi turba quaedam *libere dimissa* et *huc illuc vagata*. *Penitus adigi* fontibus, sive proprie *adhaerere* iis, غري, et prope *agglutinari* dicitur grex, qui vix ab aquis avelli queat. *Oculi* denique, مقلة, ab ea oculorum parte nomen habent, in qua humor est et ὑγρότης, quaeque *aquis* videtur *plena* iisque veluti *immersa*, a verbo مقل, quod *aquis immergendi* notionem habet, eamque, ut videtur, primam ac propriam.

At vel sic tamen insolentior nobis videtur haec imago et nostris auribus non magnopere placet. Sed sustinendus paulisper est judicii impetus, et res probe conspicienda, ne iniquam feramus sententiam. Finxit Homerus, somnum aliquando avolasse e sede sua et avis cujusdam instar latuisse in arbore, ut dein Jovem consopiret (1). Apud Virgilium autem in regione inferorum,

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent (2).

Atque ita hi somno somniisque animalium quorumdam formam actionesque tribuerunt. Uti autem Graeci Latinique avibus delectabantur, ita longe etiam major est apud Arabes gregis oviumque celebritas. Has amant, et si quem fontem inveniant, laetantur admodum et pecudem carissimam eo deducunt, quae, si solis calore defatigata fontem attigerit gustaritque aquam, illic manet lubenter seque inde vix pelli patitur. Quibus autem ovibus lubenter occupantur, easdem cogitant semper earumque similitudinem ubique invenire sibi videntur. Quodsi ergo talibus pastorum deliciis ductus poëta Graecus haec aut his similia narraret: olim somnum et somnia, antequam in terra versarentur, in inferis semper vagata esse ibique pastum ivisse; ea enim, quamvis manium et umbrarum naturam habentia, talibus tamen formis similia esse, quales in his terris esse solent, indolemque referre gregis cujusdam huc illuc discurrentis; tandem igitur Noctem, pastoris baculum nactam, postquam obortae essent tenebrae, hunc gregem infernum ex inferis abegisse, qui adeo, per totum terrarum orbem circumvagatus, tandem ad hominum oculos, utpote aquarum similitudinem habentes, constiterit, ut a vagando requiesceret;

ex

(1) Iliad. Ξ. vs. 286 sqq.
(2) Aeneid. VI. vs. 280 sqq.

ex quo tandem factum sit, ut soleant hominum oculi frontesque somnum et somnia primum recipere, quae si semel illic consederint, non possint multo facilius inde pelli, quam reliqui greges a suavissimis aquis: hujusmodi ergo si fingatur fabula, intelligi fortasse poterit, quomodo in poëtae ingenio hujus generis imago nascatur. Sed, quod probe tenendum est, apud Tograjum fabula non est, verum simplex quaedam comparatio; at ejusmodi illa, quae e fervida oriatur phantasia Orientalium, paucis saepe verbis eas similitudines concludentium, quae a nobis non nisi longiori aliqua oratione possint explicari (1).

Vs. 13. من طرب *Vacillabant*, rel. Vocabulorum constructionem si spectes, vertendum est: *prae motu* aliorum, *e crapula redeuntium*, *aliorum vino somni ebriorum.* Sed ita accipienda videntur, ut dicantur alii comites, quamvis jam expergefacti, prae molesto camelorum procedentium motu quassari, alii vero propterea nutare, quod somno quasi temulenti essent. Eos autem, qui sedentes dormiunt, caput inclinare atque nutare, ebriisque hominibus esse simillimos, facile quisque observaverit. Tales vero si quis videat poëta Arabs, fingit, *leni haustu somnum* eos suavem, tanquam vinum quoddam inebrians, *sorbuisse*, atque adeo, quod reliquis ebriis accidere solet, *nutare capite* (2).

Ad vs. 14 — 16.

Excitatum e somno socium alloquitur heros juvenis et laborum vigiliaeque patiens: ac primum quidem eum increpat et ad se adjuvandum in peragendo forti facinore incitat, vs. 14 - 16. In quo loco et delectat vigor poëseos et placet increpationis gravitas, amicitiae sensu temperata.

Vs. 14. جلّى *Rem arduam.* In verbo جلّ est propria significatio *magnae molis volvendae*, in خذل *flaccescendi, torpendi;* quas contrarias notiones si quis a poëta spectatas esse suspicetur, interpretari possit: *voco te ad mag-*

(1) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 39, 40.
(2) Exc. Ham. p. 432. vs. 16.

magnae molis opus, tu vero mihi torpes in hac fortunae molestia. Certe exquisita sunt verba singula, et suavitatem orationis auget repetitio ejusdem fere soni in nominibus جلي et جلال ab eodem verbo derivatis.

Vs. 15. Pulcerrimus mihi videtur hic versus, idque varias ob causas. Primum enim, quod miram saepe in poësi Arabica venustatem habet (1), non disertis verbis declarantur rei gestae adjuncta, sed leviter tantum attinguntur, et, quasi ea oculis hoc ipso tempore conspexisset poëta, comparationes ab iis ducuntur atque imagines: ut, quamvis nusquam noctem illam descripserit, ex diversis tamen hujus loci partibus totam nobis effingere possimus ejus noctis imaginem. Deinde hoc observandum est. Omnem rerum naturam tanquam animatam cogitant poëtae Arabes, et quicquid in ea est vel inimicum sibi fingunt vel benevolum (2). Peregrinatores vero noctem praesertim aut adversariam censent aut saepe etiam benignam. Ita Amralkeisus ut nocte quadam, periculorum plena, suam ostenderet constantiam, precabatur: *O Nox! quamvis sis horrida, tamen ne quaeso te pelli sinas ab Aurora* (3)*!* Tograjus autem cum omnia videret a laboribus desistentia, socios somno se tradentes, ipsum etiam optimum comitem dormientem, nihil putabat sibi auxilii esse exspectandum. At vero coelum suspiciens, stellas videt fulgentes; has ergo sibi propitias esse cogitat, et iis hominibus similes, qui nocte media vigilant et oculis apertis fulgentibusque circumspiciunt, ne quid mali accidat amicis. Nox vero ipsa constantiae laude videbatur celebranda. Quo enim illa colore et veluti *pigmento*, صبغ, pinxerat res omnes, nigro isto et ad machinationes quasque tegendas aptissimo, eundem servabat constanter ipsi propitium colorem et non mutatum. Et vero erant illi et stellae et nox revera auxilio; nocte enim celabatur facinus ejus, ne ab amatae custodibus detegeretur, stellis vero ipse illustrabatur ad id perficiendum. Denique, quod saepius Arabes solent (4), hac ipsa natura utitur poëta tanquam adhortatrice, quae, comitis illius

(1) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 36, 37.
(2) Conf. ibid. p. 39.
(3) Moall. *vs.* 46, 47. Conf. annotatio ad Haririi Cons. V. p. 72.
(4) Conf. comment. nostra l. l.

illius oculis suum exemplum spectandum praebens, cum moneat et pudore suffundat. Nam cum hic amaret Tograjum, seque adjutorem ei futurum promisisset; nihil poterat dici efficacius, nisi promtam ad auxiliandum esse totam rerum naturam, a qua id minime posset exspectari: Et tu, inquit heros, dum stellae vigilant, tu dormis; dum nox constanter me adjuvat, tu es inconstans!

Vs. 16. غيّ *Temerario facinore.* Verbum غوي significat *distorquere*, hinc *invertere*, item *errare*. Itaque nomen غي designat *distorsionem*. Passive accipiendum est Corani C. II. vs. 257. in his تبين الرشد من الغي *distinguitur rectum a distorto*, i. e. error a veritate differt. Sed active sumi mihi videtur in Haririi Cons. I. p. 16. de *impetu quo quis in viam distortam ruit*, atque adeo idem significare quod ibi additum nomen بغي, *insolentiam, protervium*. Ibi enim cum equo contumaci comparatur homo, qui *in amentiam ruit praeceps, quique persistit in impetu devio*, غي, *lubenterque se pascit protervia.* Certe potest de ipsa actione distorquendi accipi, atque adeo de *impetu, quo quis a recta via in distortam aberrat, cupiditatibus suis abreptus*, uti ait Scholiastes apud Slootium. Fatetur igitur heros, ejusmodi se facinus animo volvere, quod et audax sit et ab impetu animi proficiscatur, quo facile a recta rationis via deflectat. Idem vero affirmat, hunc impetum nonnunquam repellere homines ab ignavia. *Repellendi* enim notio optime convenit verbo زجر, quod pp. est *increpare*, dein *increpando deterrere.* Unde haec exsistit sententia: Si quis impetu animi feratur, hic cum impetus saepe quidem a recta rationis via deducit, sed idem tamen nonnunquam eum revocat ab ignavia, turpissima illa languentium animorum comite. Quae sententia et pulcerrima est et verissima. Ignavi enim homines sunt interdum audacissimi, et languescentes fortiorum animi temerariae cujusdam rei cogitatione excitantur. Estque hic affectionum impetus, quo rationem spernentes et veluti frena mordentes ita saepe proruant, ut per devia quidem te auferant, sed longissime tamen ab ignavia cogant recedere.

Itaque verissime judicavit Tograjus. Ast, dicat aliquis, num idem apte id dixit socio suo, ut eum excitaret ad magnum quoddam facinus secum suscipiendum? Nonne enim ignavum illum esse significat; et hac eum notans

ignominia, ad iram potius excitat, quam ad fortitudinem (1)? Equidem vero non facile id affirmarim de Tograjo, qui in hoc toto sermone verbis argumentisque utitur, ad movendum aptissimis et ad socii animum excelsioribus quibusque studiis inflammandum. Itaque mallem, quod egit Reiskius, verba ita interpretari, ut non de ipsa ignavia dicantur, sed de hujus fama, a qua cavendum esset socio; idque potius, quam istam huic sententiae vim tribuere incongruam et a poëtae eloquentia alienam. Sed neque hoc opus est, et, ut mihi quidem videtur, propriam eamque pulcerrimam verborum sententiam tenere decet. Neque enim propterea haec dixerat heros, ut socium suum ignaviae argueret; sed contra propter id ipsum, quod ignavus non erat. Noverat nempe, hunc nihil magis abhorrere ignavia, malle adeo audacem esse et temerarium, quam vel esse ignavum, vel etiam videri. Itaque quod ei suadet, temerarium esse non diffitetur, sed id dicit aperte, et bis in eodem versu repetit vocabulum, quo temeritas significatur; at vero, quae erat optima amico et sufficiens commendatio: Istiusmodi animi impetus, inquit, favet ille quidem temeritati, sed est ignauiae, quam oderis, inimicissimus!

Ad vs. 17 — 20.

Pergit peregrinator ad exponendum socio propositum suum, vs. 17 — 20. In quo loco attendendum est, quam pulcre quantoque animi sensu rei ipsius, quam appetit, suavitatem voluptatemque significet, vs. 18, 19. Neque vero minus admiranda est ejus fortitudo. Est enim hoc vetitum apud Arabes, ne quis noctu vel suos adeat (2). Tograjo autem adeunda erat tribus aliena, gladiis hastisque munita, custodita a viris fortissimis, ipsisque tenebris aditu difficilis. Ipse vero hanc rei gerendae difficultatem minime diffitetur, et vero egregie describit vs. 17, 18, 20. Quod tamen tantum abest, ut illum a proposito deterreat, ut hoc ipsum audaciam ejus magis excitet animumque inflammet. Etenim solent hominum studia acui difficultatibus, et haec vis est naturae humanae, ut difficillima quaeque lubentissime aggrediatur. Conf. vs. 16.

(1) Significare hoc videtur Cl. v. d. Palm *Verhand.* l. l. T. II. p. 83.

(2) Vid. Pocock. ad Togr. p. 79.

vs. 16. Scilicet amatam adire studet Tograjus. Amore autem nihil efficacius est, et hac ardenti ductus animi affectione homo nihil non et aggredi audet et perficere posse sibi videtur.

Vs. 17. Tohali tribus jaculandi arte erat celeberrima, e qua natus fuit heros aliquis, quem Arabes dicunt jaculandi fuisse peritissimum Arabum aut hominum omnium. Quocirca saepe ea a poëtis celebratur (1). Arabes autem solent uxores, sorores filiasque in tentoriis diligenter custodire. Cujus ergo rei difficultates superandae sunt amatori, ut ad amatam perveniat (2). At vero: *Ibo*, inquit poëta aliquis Arabs, *etiamsi Aurora gladiis sit armata; noctu ibo, etiamsi Tenebrae sint quidam exercitus* (3)!

Vs. 18. بالبيض *Gladiis candidis*, rel. Cernitur in hoc loco ars poëtae eximia. Namque hic versus maximopere rhythmi suavitate placet: quae augetur etiam duorum verborum الحلي والحلل simili sono in fine versus. Neque minus suavis est ipsa rerum descriptio. Colorum splendore unice delectantur Orientales. In hoc autem versu ita pinguntur colores varii et veluti miscentur, ut eorum et placeat conjunctio et varietas elucescat. Etenim et gladii *candidi*, et *fulvae* esse dicuntur hastae, et cincinni *nigri*, et *rubra* enumerantur ornamenta. Sunt vero omnia ita descripta, quasi oculis ea conspexisset poëta. Nam neque gladii neque hastae proprio suo nomine appellantur, sed, adjectivis substantivorum loco adhibitis, *prae candore micantes* vocantur gladii, hastae autem *fulvae* nominantur et *flexibiles*: imo vero non puellarum appellatione utitur poëta, sed quasi eas digito monstrans, vocat *nigras cincinnis illas*. Quamquam enim non ignoro, adjectiva saepe pro substantivis usurpari a poëtis Arabibus, maxime recentioribus (4); tamen sic equidem judico, si vel unquam id sine peculiari quadam causa fiat, in nostro saltem loco fluxisse illud e singulari, qua erat poëta, animi affectione. Nam cum et reliqua et vero puellas in tribu, quam petebat, versantes ipse animo videre sibi videretur,

(1) Vid. Pocock et v. d. Sloot ad h. l.

(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 63.

(3) Vid. apud v. d. Sloot ad h. l.

(4) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 49, 53.

tur, easque a socio cogitari et paene conspici oculis existimaret; *Tuentur*, inquit, *nigras cincinnis illas et fulvas ornamentis*, *ornatisque stolis*. Caeterum lubenter Arabes sibi fingunt puellas, cum aureis monilibus splendentes, tum sericis vestibus pretiosissimis. Pulcerrimum vero id putant, si nigri puellarum capilli ad tergum defluunt venustisque cincinnis per collum funduntur volvunturque. Quae significatio est vocis غداير derivatae a verbo غدر quod proprie dicitur de *fluxu largiore et soluto*. Ejusmodi puellam describit Amralkeisus (1):

وفرع يزين المتن اسود فاحم
اثيث كقنو النخلة المتعثكل *
غدايرها مستشزرات الي العلي
تضلّ العقاص في مثني ومرسل *

Caesaries, *carbonis instar nigerrima*, *tergum decorabat*,
Luxurians illa et implicitis palmarum racemis simillima.
Comae vero in altum erant contortae,
Errabantque cincinni in crinibus, *partim flexis*, *partim solutis.*

At vero nisi quis, suae gentis suique temporis morem admiratus, minus libero sit pulcri judicio, idem illud, ni fallar, non Arabibus tantum, sed et caeteris omnibus in puella placebit. Namque

Illam, *quicquid agit*, *quoquo vestigia movit*,
Componit furtim subsequiturque decor.
Seu solvit crines, *fusis decet esse capillis*,
Seu comsit, *comtis est veneranda comis* (2).

Vs. 19. نفحة *Fragrantia*, rel. Odoramentis mirifice delectari Orientales, nemo est qui ignoret. Sed mirum tamen accidit, quod iis adeo perfusae dicantur puellae, ut peregrinator procul disstans earum sedem possit odorari. Addat forte aliquis, harum rerum peritus, si tanta alicubi sit odorum copia, vix quemquam ibi vivere posse, certe valetudini id perquam esse noxium: di-

(1) Moall. vs. 34, 35. Ibi pro غدايره, quae consueta est lectio, Patris mei codex aptiorem habet lectionem غدايرها.

(2) Tibullus L. IV. C. 2. vs. 7 sqq.

dicat saltem, re serio perpensa, aut absurde illud dictum esse aut per hyperbolen plane Orientalem. At solent poëtae Arabes in amoribus describendis unice oblectari his puellarum unguentis, iisque saepe sua carmina veluti perfundunt (1). Deinde observandum est, Arabes, cum in desertis saepe vagentur, neque certas ubique vias invenire neque viae duces habere idoneos: sed, ut sciant quo sit flectendum iter, aut coeli siderumque rationem observant, aut vestigia legunt animalium hominumve, aut etiam plantarum quarundam odore late diffuso duci se patiuntur. Videntur adeo nonnunquam noctu lignum accendere odores spargens, cujus et splendore et vero simul odore alliciantur peregrinatores (2). Itaque saepius *viae ducem* laudant *odorum fragrantiam*, e longinquo percipiendam (3). Et poëta Orientalis, cum *auram matutinam ambari odore perfusam* perciperet: *Forsitan*, inquit, *puella mea in prato incedit* (4). Denique hujus loci rationem discernamus, non medicorum more aut tanquam naturae perscrutatores, sed ut poëseos judices. Namque erat peregrinator, uti diximus, puellarum cogitatione plane abreptus, et quae illas circumdarent omnia sensibus ipse suis percipere sibi videbatur. Itaque illas cogitat, unguentis suavissimis respersas. Videt desertum horridum, et has tenebras, in quibus deficeret ad viam indicandam oculorum sensus. Sed tamen: Eamus, inquit, si vel tota nobis rerum natura auxilium deneget, ipsae illae virgines adjumentum, quo tuti ad ipsas ducamur, suppeditabunt; in obscuris horridisque locis aderit fidissima nobis eademque suavissima viae dux, unguentorum fragrantia!

Vs. 20. الحبيب *Amor meus.* Graeci, quam amabant maxime, *φιλτρὸν suum* vocabant; Latini *vitam suam* aut *animam* aut *suum amorem* aut *animae dimidium suae.* Tograjus dilectissimam puellam appellat *amorem suum*, quasi ea nihil aliud esset praeter eum ipsum amorem, quo illa amatorem perfundebat. Antara dicit *amatam in corde suo*, *tanquam in hospitio*, *habitare* (5).

الاسل

(1) Exemplo sit Amralk. Moall. vs. 8, 37. Conf. Salom. Cantic. III. 6. IV. 6. sqq.
(2) Vid. versus laudati a Slootio ad h. l. p. 127.
(3) Vid. idem p. 126.
(4) Vid. Jones de Poësi Asiatica p. 88.
(5) Moall. vs. 8. Conf. ibi Cl. Willmet p. 129 sq.

الأسد *Leones*. Antara quoque *virginem dilectam in eo tractu versantem* fingit, *ubi habitabant hostes*, *leonum instar rugientes* (1). Et vero cum in multis Orientis regionibus minime rari sint leones fortissimi, saepe *leonum* nomine vocarunt viros aut in bello fortes, aut oppressores, aut ad custodiam vigiles (2); ipsum adeo Mohammedem dixerunt *leonem superbum*, *quem metuant homines*, *metuant etiam leones vicini* (3). In nostro loco *leones* nominantur *cubantes*, cum ad vigiliam indicandam, tum ad metum significandum, quem incutiunt, atque horrorem. Si quis enim leo, ad introitum sylvae decumbens, erecto collo oculisque fulgentibus circumspectet, tum demum significat, quantas habiturus sit vires, si forte iis utatur ad hostem dilaniandum.

الكناس *Latibulum Dorcadum*. Nomen كناس h. l. non de *domicilio hominum secluso* dicitur, sed imaginem animo offert *latibuli capreolarum arboribus undique consiti* (4): apteque adeo convenit leonum similitudini, qui sylvae, in qua illae lateant, aditum intercludant.

الأسل *Hastarum*. Voce أسل plerumque designantur *hastae*. Hastarum autem commemorationem non consentaneam esse leonum imagini, vidit scholiastes Arabs apud Slootium. Verum saepe poëtae, affectu abrepti, rerum similitudines cum rebus ipsis conjungunt et veluti commiscent. Itaque cum poëta noster cogitaret dorcades quasdam in sylva latentes, cogitabat simul hastarum metuendarum turbam et veluti sylvam, dixitque adeo hasce suas Dorcades etiam in sylva latere, sed horrida illa et unice timenda, quippe sylva quadam hastarum. Praeterea أسل pp. est *planta ramos subtiles sine foliis habens* (5), et hinc tropice de hastis dicitur, uti apud Graecos *μελία*, *ἐλάται*, apud Latinos *arundo*, *fraxinus*. Itaque vocem ipsam si spectes, loquitur poëta de sylva arborum spissarum; ipso tamen hujus vocis delectu significans, designari a se ejusmodi arbores, quae hastarum usum praestent.

Ad

(1) Moall. vs. 6.
(2) Job. IV. 10, 11. Conf. Cl. Pareau Comm. Job. p. 345. sq.
(3) Caab ben Zoh. vs. 46-49.
(4) Vid. Pocock. ad h. l.
(5) Vid. Pocock. et v. d. Sloot ad h. l.

Ad vs. 21 — 26.

Sensim in proposito suo exponendo heros eo erat delapsus, ut et virginem amatam reliquasque suavissimas puellas et fortissimos earum custodes describeret. Itaque quod jam agere inceperat vs. 20., dilectissimam puellam describit amator vs. 21, 22., et quo magis eam celebret, totam ejus tribum depingit atque laudat vs. 23 - 26. Et hac quidem gratissimae rei descriptione mirifice delectatus poëta omne in ea adornanda ingenii acumen adhibuit, omnesque veluti intendit vires. Quo ipso factum, ap erte enim meum judicium profitebor, ut multum in hoc loco habeatur artis, simplicitatis parum. Nam cum et puellarum in ea tribu et virorum imaginem ante oculos haberet, utrosque identidem comparavit et dissimillimas saepe res levi quadam verborum dictionisque similitudine conjunxit ingenio. Atque has comparationes et antitheses tanta diligentia exquisivit sectatusque et veluti venatus est, ut e longinquo saepe petitae et studiosius atque nimio quodam labore conquisitae videantur. Sed si simplicitatis laude carent hi versus, commendant se tamen ingenii ubertate et quadam luxuria. Idonea autem est totius loci ratio ad socium excitandum et rei peragendae studio inflammandum. Apta etiam est admonitio vs. 21., qua illum denuo compellat. Abest enim ira omnis atque increpatio. Lenia sunt verba atque amica et veluti per amoris cogitationem temperata. Etenim non tam socii amplius torporem aut negligentiam, sed unice amorem praestantiamque cogitat puellarum.

Vs. 21. نصالها *Ejus ipsius tela.* Hoc telorum nomen cum alii, tum Pocockius, interpretantur de virorum sagittis, quibus puellam tuentur. Sed cogitandos esse ipsos puellae oculos, docet cum totius hujus versus ratio, tum comparatio versus 27., tum mos poëtarum Arabum, qui saepe puellarum oculos vocant *sagittas, quibus cor amantis sauciatur.* Et oculorum quidem in amore celebris laus esse solet. Nec mirum. Oculi enim *ἐν ἀντωποῖς βλεφάροισιν ἔρωτα διδοῦσι per oculos ex adverso intuentes amorem injiciunt* (1), atque, *τὸ τοῦ κάλλους ῥεῦμα διὰ τῶν ὀμμάτων πέφυκεν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἰέναι, pul-*

(1) Euripid. Iphig. in Aulid. vs. 585 sq.

pulcrum per oculos solet in animum influere (1). Et sane videtur inter amantium sese invicem intuentium oculos intermedius versari et quasi volare amor. Variae autem res sunt, a quibus similitudines ducuntur in amore describendo, velut ab igne, a vinculis, ab incantamentis, item a jaculis et sagittis. Tograjus recte jaculorum imaginem hoc loco elegit. Est vero in hac dictione aliquid aenigmatici, quod amant recentiores poëtae Arabes (2). Neque enim aut *jacula ex oculis projecta* dicit poëta, aut *oculorum sagittas* appellat, sed simpliciter *jacula puellae.* Scilicet versu superiori locutus erat de hastis telisque virorum maxime metuendis. In toto autem hoc loco vs. 20 - 29. virorum foeminarumque rationem comparat et alteram alteri opponit. Itaque nunc: Sint ista, inquit, timenda mihi virorum arma, habet quoque suas puella sagittas, non inimicas illas, imo vero amatorias, et voluptate veluti imbutas!

بمياه الغنج *Splendenti languentium oculorum humore.* Delectantur in amore Arabes oculorum quodam languore, quo illos vel depressis ciliis vel oblique intueantur puellae (3). Et vero si oblique te atque furtim adspiciant puellae, harum oculi, voluptate pleni, splendent, neque sicci videntur, sed humidi, et eam habent pulcritudinem, quam Graeci ὑγρότητα vocant, oppositam siccitati oculorum, qualis est maxime in cadaveribus. Quem quidem splendorem oculorum cum significaret poëta, exquisite posuit vocem مياه quae *aquarum* significationem accepit a propria notione *splendoris.* Nec minus amatorium est vocabulum غنج, quod, collato eodem verbo Hebraico, saepe universe de *gestu amatorio* usurpatur et peculiariter de *limo intuitu* foeminarum, qui amore plenus est penitusque solet in animum penetrare (4). Cum autem de jaculis poëta locutus esset, quae projiciantur ex oculis, cumque hos oculos pingeret quodam veluti humore voluptatis splendentes, hanc utramque imaginem conjunxit, dixitque hasce puellae sagittas non veneno infectas esse, quod in jaculis bellicis fit aliquando, aut non illo certe

(1) Plato, Phaedro p. 255. C.
(2) Vid. comment. nostra P. I. C. II. p. 41, 42, 53.
(3) Conf. Lette ad Caab ben Zoheir p. 99, 100.
(4) Conf. Schultens. Oper. Min. p. 247. et ad Prov. XIX. 10.

te veneno, quod corpori nocere solet, sed imbutas esse quodam veluti liquore voluptatis.

والكحل *Nigrorumque*. Dicitur hoc nomen aut de ipsorum oculorum *nigredine*, aut de *nigro stibii colore* sive pigmenti, quo solent in Oriente foeminae palpebras et articulos oculorum illinere, ut eo videantur pulcriores (1). Neque enim mirandum est, si oculorum maximam habeant rationem puellae Arabes, utpote quae, cum maximam faciei partem tegant velo (2), non alio fuco uti possunt, sed, quos fere solos conspiciendos praebent, oculos nigro colore ornant, quo illi magis enitescant.

Vs. 22. Dixi hosce versus 21 - 29. nimis esse artificiosos, neque id tamen intelligi velim de ipso vs. 22. Est hic enim simplex et in medio hoc loco artis pleno gratam affert veluti auram ab ipsa profectam natura. Verba كرام et كرائم vel peculiarem *munificentiae* laudem significant, vel universam *nobilis bonique animi*, *qui viti succo plenae similis sit* (3). Sed notio *munificentiae* h. l. apta non est, tum quod eaedem foeminae, quae vocantur كرائم, dicuntur esse *parcissimae*, tum vero quod munificentia foeminis non laudi, sed vitio verti solet ab Arabibus (4). Placet autem repetitio, qua dicuntur a *nobilibus* viris *nobiles* celebrari mulieres. Vocabulum طيب, quod universe *suavitatem* significat, antea vs. 19. usurpatum est de *unguentorum odore*, nunc pulcre de sermonibus usurpatur, quae *gratiam* spirant *suavitatemque*.

Audiamus vero illos sermones, ut intelligamus, quibusnam rebus celebrandis Arabes suavitatem colloquiis concilient. Habentur ea colloquia nocte media, quod et ex toto hoc loco atque e vs. 23. patet, et in more Arabibus est positum. Habentur autem de foeminis. Neque corporis tantum pulcritudinem celebrant, sed animi morumque venustatem. Laudant et modestiam et frugalitatem: quae certe virtutes si desint foeminis, quamvis pulcerrimis, de-

(1) Vid. *Silvestre de Sacy*, *Chrestom. Ar.* T. III. p. 20. et H. A. Schultens ad Fabulas Bidpai p. 4.

(2) Conf. Ibn Dor. vs. 218. Vid. etiam Cl. Willmet ad Antar. p. 178 sq. et Cl. v. d. Palm *Saloma* II. N°. 86.

(3) Vid. Pocock. ad h. l. et Cl. Willmet Lexic. voce كرم.

(4) Vid. Pocock. et v. d. Sloot ad h. l.

deest omnis paene decor et verecundia. Caveamus vero, ne nimis magnifice de ipsis his puellarum virtutibus judicemus; neve existimemus, eosdem flores Arabibus placere, qui nobis videntur gratum habere odorem. Nam cum viri Arabes et audacia sua et liberalitate unice glorientur, foeminas contra tum demum amant, si nihil audeant aut agere aut loqui coram viris, easdemque, uti dixi, tum demum laudant si sint parcissimae et prope avarae (1). Cernitur hoc in ipsis vocibus h. l. adhibitis; nam nomen جبن *timiditatem* significat, بخل vero *tenacitatem* et *avaritiam*. Cernitur item in moribus foeminarum, quae, quum in publicum procedunt, faciem paene totam obtegunt, ne a quoquam conspiciantur. Et vero ut tribum aliquam summo afficeret opprobrio poëta Arabs, dixit, *non unum inter omnes virum esse, qui largiri, neque foeminam unam, quae denegare aliquid auderet* (2). Neque tamen haec de moribus observatio quicquam facit ad poëseos pulcritudinem minuendam. Placet Arabibus non minus illa sua foeminarum parsimonia et modestia, quam nobis placent virtutes his ipsis apud nos significatae nominibus. Et parum sane refert ad suavitatem sensusque jucunditatem, quinam et quo nomine laudentur flores, dummodo suavem ipsis laudatoribus odorem afferre videantur.

Vs. 23. Est hic mos nobilissimorum in Arabia virorum, ut, si qui ditissimi sint et munificentissimi, in colle quodam aut cacumine montis ignem accendant et ad auroram usque alant, quo hospites alliciantur. Imo quo major est ille ignis et in loco eminentiori positus, eo gloriosius liberalitatis documentum habetur (3). Cum hoc autem igne comparatur amoris flamma, quam puellae in virorum corde accendunt. Quod comparationum genus Arabibus placet (4).

Vs. 24. يقتلن *Perimunt hae.* Cum summa sit apud Arabes affectionum vehementia, saepe ab iis dicitur aliquis amore *perire*, *perimi*, *necari* (5). Com-

(1) Hoc Arabum de foeminis judicium referunt, quos modo citavi, Pocock. et v. d. Sloot.

(2) Vid. apud Pocockium ad h. l.

(3) Conf. Pocock. ad h. l. et comment. nostra P. I. C. II. p. 64, 65.

(4) Exemplum habet v. d. Sloot ad h. l.

(5) Vid. Amralk. Moall. vs. 21.

Comparatur etiam interdum vir debilitatus fractusque amore cum *camelo mactato*; certe Amralkeïsus cor suum *camelo mactato disscissoque* assimilare videtur (1). Cujusmodi imagines eo et leniores Arabibus videntur et suaviores, quod camelis et utuntur semper et mirifice delectantur (2). Itaque cum corda virorum vulnerata amore et paene lacerata describere vellet Tograjus, eos camelis jugulatis comparavit: et vero cum ipsos diceret amore *debiles*, sive *confectos*, voce usus est أنضاء, quae, quamvis universe *debilitatem* significet, usurpatur tamen maxime de *camelis emaciatis*, et usurpata est in hoc ipso carmine vs. 7. de *camelo longis itineribus debilitato*.

ينحرون *Jugulant illi*. Arabes si peregrinum quendam excipiant, eum non exili quodam cibo nutriunt, sed in hospitis gratiam ovem pinguem aut hoedum mactant, imo, si liberalitatem suam velint ostentare, carissima sibi animalia, generosos equos atque camelos, jugulant (3). Horum enim animalium caro quantopere in deliciis habeatur, apparet ex Amralkeiso, qui cum per totum diem in amore ludisque sese oblectasset cum dilectis puellis, vespera esurientibus cameli sui exquisitissimas partes apposuit, atque vinum insuper depromens, coenam paravit, qua illae eximie sunt delectatae (4).

Vs. 25. يشفي *Sanatur*, rel. Dissentiunt inter se interpretes in hujus versus sensu constituendo, praesertim propter illum *vini mellisque fontem*. Arabs aliquis interpres viros existimavit describi generosos, quippe qui hostibus, quos vulnerarint, cibum postea potumque praebeant. At vero sanari hominum vulnera dicuntur, non eorum animi exhilarari bibendo. Vertendum enim proprie est: *sanatur vulneratus* vel *sanatur vulnus per vini haustum*. Alius interpres Arabs oscula puellarum indicari putat, earumque *os suavissimum cum fonte quodam vini mellisque* comparari, *ex quo dulcia oscula veluti hauriat amator* (5). Cum hoc consentiunt recentiores interpretes

non-

(1) Vid. Amralk. Moall. vs. 22. Conf. Lette ad eum locum.

(2) Alius generis imaginem a camelis desumtam videas Exc. Ham. p. 364. vs. 3. Conf. annotatio ad eum locum p. 366.

(3) Vid. Pocock. ad h. l.

(4) Amralk. Moall. vs. 11. Conf. omnino, quae e Tebrizio habet ad illum locum Lette p. 175 sqq.

(5) Utramque interpretationem exhibet v. d. Sloot ad h. l.

nonnulli (1). Et vero hujusmodi imagines a celeberrimis poëtis adhibentur (2). Denique intellexerunt id alii (3) de vulnerum proprie sic dicta sanatione, ut, prouti antea hospitalitas, ita nunc universe laudetur generositas virorum in eo sita, quod adversarios in proelio hastis vulneratos, postea in tentoriis sanent. Dici enim potest vulnus *haurire* et veluti *bibere remedia*, prouti ab Horatio dicitur vulnus *combibere venenum* (4): ad sanandum autem utuntur saepius Orientales cum vino, tum oleo et horum similibus remediis (5); estque haec interdum Arabum generositas, ut glorientur, si, *quos manibus suis vulnerarint*, *possint opibus suis sanare* (6). Et haec quidem postrema interpretatio praeferenda est, si existimes oppositionem haberi hunc versum inter et versum subsequentem, ut sanatio a puellis profecta, quae memoratur vs. 26., opponi censeatur sanationi quam afferant viri, vs. 25. Sin illud non probes propterea, quod vs. 26. de se ipso denuo loqui incipit poëta, cum vs. 25. etiamnum in universis tribus praestantissimae laudibus celebrandis versetur; sanatio intelligenda erit, quam osculis suis puellae afferant iis, quos hastis vulneraverint viri: quod antecedentibus quidem est convenientius; sic enim in altero hujus versus membro puellae, in altero viri laudantur, quod idem a poëta factum est vs. 22 - 24.

Vs. 26. الهامة ثانية *Si rediero.* Sese ad tribum illam *rediturum esse*, sive proprie ibi *iterum commoraturum tanquam hospitem*, dicit amator vel ideo, quia semel iterumque rem tentare volebat, a proposito non destiturus, vel, quod simplicius statui videtur, quia jam antea in illa tribu fuerat versatus, nunc autem sperabat fore ut, quod tunc suscepisset dilectissimae puellae desiderium, jam sibi iterum illuc penetranti plane expleretur.

البرء

(1) Ita Cl. v. d. Palm *Verhand.* l. l. II. p. 86.; et simili fere modo Golius, coll. v. d. Sloot ad h. l.

(2) Caab ben Zoheir. vs. 3. Ibn Doreid. vs. 113, 114. Antara vs. 13, 14. Conf. Cl. Willmet ad Antar. p. 142. sq. et Doct. Bilderdyk ad versionem Belgicam Ibn Doreidi in editione secunda p. 59. sq.

(3) Ita Reiskius aliique, quos laudat v. d. Sloot ad h. l. Partim etiam consentit interpres aliquis Arabs ibidem laudatus.

(4) Carm. L. I. Od. 37. vs. 28.

(5) Conf. Ps. CXLI. 5. et Luc. X. 34.

(6) Exc. Ham. p. 452. vs. 7. Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 65.

نسيم البرء *Aura salutaris.* Uti hoc loco vis salutaris, quam in amatoris animum habet amata, salubri aurae comparatur, ita in celebratissimo Platonis loco lenis quaedam rerum pulcrarum vis in animos juvenum dicitur ὥσπερ αὖρα φέρουσα ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν, *aurae similis, quae a salubribus locis affert sanitatem* (1). Est vero apud Tograjum in hoc versu quiddam obscurius. Neque enim expresse dicit, quaenam sit illa aura, aut unde afflatura, aut qualis suus ille sit morbus. Suspicari quidem possumus, suavissimam, quam amabat, puellam tecte ab amatore significari; idque cum alias ob causas, tum propter vocabulum جزع *vallis recessum* significans, quod cum vs. 21. in amatae descriptione adhibuisset, id nunc consulto repetere videtur. Neque tamen negligenda est aut tollenda interpretando haec aenigmatica ratio. Habet eandem poëta vs. 20, 21., ubi jacula puellae opponit hastis virorum. In hoc autem vs. 26. non jaculis jacula, sed vulnèri opponit vulnus. Etenim vs. 25. de vulneribus locutus erat, quae hastis inferrent viri; nunc amore saucius amator, idemque puellae dulcedinem cogitans: Ast, inquit, aliud meum est vulnus, sunt vero etiam in dilectissima illa valle remedia suavissima et ad me sanandum aptissima; meo salutaris morbo ac suavis illinc aura afflabit! Caeterum alii poëtae *leni suavique aurae* comparant *oscula puellarum* (2), et haec ipsa *oscula* fingunt *saucio amantium animo sanando salubria* (3).

Ad vs. 27 — 29.

Concitatior fit oratio in hoc fine sermonis ad socium habiti, et, fluminis instar, quo ulterius prolabitur, eo vim acquirit majorem. Quare cum in reliquis, tum in comparationum ratione simillimi sunt antecedentibus hi versus 27 - 29., iisdem vero affectionum vi et velut commoti animi fluctibus efficaciores. Totus enim cupiditate sua abripitur amator, et puellas illas videndi ardore inflammatus, paene furit. Quo ipso furore excitatus animus, magis magisque

(1) Republ. III. p. 401. C.
(2) Antar. Moall. vs. 14 sqq. Conf. omnino ibi Cl. Willmet p. 144 sq.
(3) Ibn Dor. vs. 109.

que et vires suas persentiscit, et audacior evadit, et tam parum metuit pericula, ut in his versibus ipsum audire nobis videamur sonum vocemque fortitudinis.

Vs. 27. الاعين النجل *Oculorum late patentium.* Graeci in foeminis magnos celebrabant oculos, atque ipsa adeo Dea Minerva vocabatur *βοῶπις* Ἀθηνή. Iisdem autem Arabes etiam delectantur, quod significavit poëta Motenabbi, amatam allocutus: *Vulnus*, inquit, *meis intulit praecordiis oculus tuus; est vero vulnus oculo simillimum, utrumque enim late patens est atque apertum* (1). Uti autem ille magnum animi vulnus ab oculis magnis profectum celebrat, ita etiam Tograjus: idem vero hic aliam praesertim adhibet alterius cujusdam vulneris magni cogitationem, quam in ejus mente excitabant adversariorum hastae. Quare dicit: Infligant isti vulnus amplum, nolo id detrectare, alterum huic vulneri accedet vulnus, amplitudine quidem ei simile, sed a sagittis profectum, quas oculi ampli pulcerrimique projiciant! Quibus sane in notionibus conjungendis ars quaedam operosior cernitur; sed et in verbis ipsis eligendis eximia poëtae ars apparet atque diligentia. Nam verbum de vulnere *detrectando* adhibitum, كره, peculiariter usurpari solet de *horrido adspectu hominis aegrotantis aut vulnerati.* Verbum شفع est *duplicare*, ut proprie dicatur *unum illud vulnus duplicari*, cum alterum ei accedat ad magnitudinem simillimum. Nomen رشقة cum de *jaculis vibrandis*, tum de *vibranda oculorum acie* adhibetur, apteque adeo positum est de sagittis, quas veluti projiciant oculi.

Vs. 28. Describuntur puellae in tentorio latentes, quas per rimam, quae inter reliquum tentorii tegumentum et velum tenuius, ad ejus introitum pendens, obtueatur furtim amator. Id autem, inquit heros, si mihi nancisci liceat per adversariorum gladios ruenti, tantum hoc istorum gladiorum quasi beneficium erit, ut reliquam eorundem vim hujus rei gratia lubenter velim experiri! Saepius jam vidimus, bellicis rebus negotia amatoria ab Arabibus comparari. Nec mirum. Per medios adversariorum gladios cum penetrent ad amatas; fieri vix potest, quin jacula conspicientes in

(1) Vid. apud v. d. Sloot ad h. l.

in animo habeant amoris sagittas, ensemque fulgentem intuentes puellarum cogitent splendorem pulcritudinemque, et *cupiant osculari gladios*, *quia fulgent sicut os puellae subridens* (1). In nostro autem loco vox, quae *rimam* velorum significat, خلل, et saepe et in ipso hoc carmine vs. 4. de *vagina gladii* adhibetur. Cumque *gladios* vocasset *splendentes* sive *micantes*, postea ad *furtivum* puellarum *adspectum* designandum utitur poëta vocabulo, quod a verbo ومض, *micandi* significationem habente, derivatum, proprie de *splendore* dicitur. Hoc ergo utrumque eo consilio positum est, ut intelligamus, heroëm solos amores cogitantem, cum gladios adspiceret e vaginis strictos, sibi visum esse non tam hos videre, quam ipsos potius virginum oculos, animum vulneraturos, jam intueri, reconditos primum, sed deinde per velorum rimam quasi effulgentes.

Vs. 29. Dorcades pulcerrimum est capreolarum genus, Graecis quidem non ignotum, at Hebraeis tamen et Arabibus omnium maxime dilectum, miti natura insigne et flexibili, formoso corpore, oculis venustis, tenuibus palpebris, pedibus vero maxime agilibus: unde et apud Arabes غزل a *glomerando*, *celeriter currendo*, et apud eosdem ظبية, uti apud Hebraeos צבי, vocatur sive ab *emicando prosiliendoque* sive a *formae venustate*. Itaque cum apud nos etiam suavia puellis nomina dentur, a columbis aliisque animantibus pulcris desumta; mirum non est, apud Arabes similitudine a formosis dorcadibus ducta easdem esse nominatas, et nonnunquam proprium in Oriente iis fuisse nomen *Dorcadis* (2). Ibn Doreidus pulcerrimam puellam dicit *oculis pullo dorcadis simillimam* (3), et Caab ben Zoheirus *simillimam dorcadi*, *oculis languidam*, *nigram palpebris* (4). Amralkeisus vero virginis collum assimilat *collo capreolae pulcro erectoque*, et hanc ipsam virginem prae pudore *timide circumspicientem* dicit *oculis similem meticulosae dorcadi*, *de pullis sollicitae* (5). Et Antara puellam pingit, *respicientem col-*

(1) Vid. versus laudati a v. d. Sloot p. 139.

(2) Act. Apostol. IX. 36. Caeterum de his animalibus vid. Bochart. Hieroz. L. III. C. 25. p. 925.

(3) Carminis vs. 218.

(4) Carminis vs. 2

(5) Moall. vs. 32, 33.

collo converso, quale reflectit capreae pullus, et pullus ille quidem, qui, inter hinnulos cum matre procedens, caeteris omnibus praestet pulcritudine (1). Quid? quod *capreola* memoratur, *quae virgines paradysi oculorum pulcritudine superet* (2). Denique exquisitissimam laudem huic animali tribuunt universi Arabes, quippe qui a *dorcadum* nomine غزل, ipsi verbo غزل notionem dederint *amatorie ludendi* et *cum puellis confabulandi jocandique*. Quo adeo verbo nullum adhiberi potuit suavius a Tograjo in nostro loco et vs. 11., neque ullum fingi potest elegantius aut poësi amatoriae aptius.

Est autem hic versus pulcer, dignusque qui toti huic sermoni, ad comitem habito, finem imponat. Placet auribus magnamque in legentium animum vim habet duorum verborum, forma paululum diversorum, repetitio, quam Latine sic exprimas: *Dorcades non deseram ludentes, ludam cum illis; etiamsi leones irruant sylvestres sylvestribus ex insidiis!* Sed gravis praesertim est in hoc versu fortitudinis significatio. Nam cum in toto hoc sermone expeditionem socio descripsisset suavissimam quidem, sed eandem periculo plenissimam, tandem gratissimae rei cogitatione ad summam incitatur audaciam. Quare si singulorum horum versuum 27, 28, 29. initium attendas, magna in hoc est vis orationis, quod dicit heros: *non vereor, non metuo, neque me avelli patiar.* Et vero in vs. 29. puellas cogitans, dorcadibus venustissimis similes, earum custodes etiam tanquam leones sanguinis avidos sibique inhiantes oculis ipsis jam contueri sibi videtur; sed tamen: Ab illis me Dorcadibus, inquit, avelli non patiar, inhient licet in me et jamjam ex insidiis prosiliant ferocissimi isti Leones!

Ad versum 30. *et subsequentes.*

Ad aliam procedimus carminis partem, a proxime antecedenti plane diversam. Quam diversitatem nemo mirabitur, qui comprobaverit, quod statuimus, absolvi vs. 29. illum de amore olim habitum sermonem, et inde a

vs.

(1) Moall. vs. 60. Conf. ibi Cl. Willmet.
(2) Vita Timuri T. II. p. 504.

vs. 30. redire poëtam ad infelicem suam conditionem describendam, de qua ante versum 12. dixerat. Sed hoc ipsum quam vere statuerimus, nunc ostendendum est.

Et inde ab hoc quidem versu 30. ipsum est plane diversum carminis argumentum. Itaque alterutrum dicendum est, aut Tograjum cum socio suo colloquentem prorsus a proposito deflexisse, aut his deinceps versibus non amplius cum eo colloqui. Dubitasse videntur commentatores Arabes, aut non magnopere in hanc rem inquisivisse. Europaei interpretes aut nihil monuerunt, aut leviter hanc quaestionem attigerunt, a qua tamen pendet totius hujus partis interpretatio. Poëta ipse non diserte indicat, finem hoc loco haberi illius sermonis aut aliam rem agi deinceps. Unde tamen concludere non licet, eandem orationis seriem ulterius porrigi, cum saepe poëtae Orientales vel aliorum hominum dicta, vel sua alio tempore prolata verba ita referant, ut, ubi ea incipiant, ubi desinant, non ex vocabulorum quorundam admonitione, sed e sola rerum indole divinando assequi possis (1). Itaque hoc etiam loco e sola argumenti ratione res dijudicanda est, et, ut mihi quidem persuadeo, facile dijudicatur. Etenim antea amoris plena fuerat oratio; post vs. 29. autem de amore ne verbum quidem: contra nihil cum hoc commune habet, quae postea memoratur, fortunae iniquitas aut hominum perfidia, aut rerum humanarum contemtus. Deinde expeditio illa amatoria a juvene videtur fuisse peracta; post versum 30. autem loquitur senex, vs. 40, 43, 45, 54. Porro observari potest, noctis tempus memorari in toto illo sermone amatorio; contra in hac posteriori carminis parte eundem illum refulgere solis orientis splendorem, quem in carminis initio observavimus, vs. 36, 46, item vs. 38, 57., coll. vs. 2. Denique alia prorsus est orationis forma; nam cum antea et in admonendo socio, et in narrando proposito suo, et in puellae amatae familia describenda, continuo sermone fuisset usus; nunc deinceps brevibus dictis, acutis saepe sententiis, abrupta oratione, modo de se, modo de aliis hominibus loquitur, modo narrat, modo increpat, irascitur, luget, modo gravissimas de rebus humanis admonitiones tradit.

His

(1) Conf. comment. nostra P. I. C. II p. 41, 45. Vid. Cl. Pareau Instit. Interpret. V. T. p. 444 sqq.

His rationibus permotus equidem censeo, poëtam, enarrato sermone olim habito, redire vs. 30. ad illud ipsum, a quo jamdiu deflexerat oratio (1). Uti enim in carminis initio suam descripserat conditionem, senis exsulis, cum camelis oberrantis; ita in hac postrema parte suas in eadem illa conditione cogitationes et animi in ipsa senectute fortissimi sensus declaravit, et malorum suorum memoriam recordatus est, et aetatis, quae supererat, consilium rationemque exposuit.

Quamvis autem existimem, novam esse hanc carminis partem et ab antecedenti plane diversam, non nego tamen, quoddam esse inter utramque vinculum cogitatorum. Contra vero affirmo, poëtam, etsi ad aliud argumentum transeat, manere tamen iisdem sensibus affectum: atque adeo, si non tam verborum, quam ipsorum animi sensuum conjunctionem spectes, quod plerumque in Arabica poësi agendum est (2), subitum quidem esse censeo, at facilem tamen in oratione transitum. Quod ut intelligatur quale sit, ad antecedentia est recurrendum.

In carminis initio poëta et fortitudinis suae sensum expresserat, et juvenilis aetatis memoriam cum senectutis conjunxerat cogitatione, eundemque adeo senem sese esse declaraverat, qui fuisset juvenis, virum fortis animi constantia insignem, vs. 1, 2. Ad juveniles ergo amores describendos delapsus, in hac ipsa descriptione fortitudinem suam pristinam luculenter exposuerat, utpote qui somno nunquam delinitus, ab ignavia semper alienus et adversariorum fortissimorum cogitatione fuisset delectatus, vs. 12-20. Tandem vero in eadem illa narratione tantum periculorum contemtum tantamque in rebus molestissimis audaciam significaverat, vs. 27-29., ut penitus ipse persentisceret, quod in carminis initio pronunciaverat verbis, fortissimum se olim fuisse juvenem. Quare, quod item dixerat antea, eodem, quo fuerat juvenis

(1) Simili fere modo ad primarium argumentum redit Amralkeisus, Moall. vs. 44. Caeterum observari meretur, Sebt ibn al Djouzium, nonnullas hujus carminis partes describentem, hos versus 10-29. continuos omisisse, cum versum 9. et versum 30. referat; in MS. 88. Acad. Lugd. Bat. Ex quo conjicias, hanc ipsi partem a reliquo carminis argumento diversam esse visam.

(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 41, 47.

nis, animo etiamnum se mansisse senem, nullis rebus agitato constantique, id etiam magis nunc sentit, atque hac gravissima abreptus conscientia, juventutis recordationem subito mittit, et ad praesentes suos in senectute sensus effundendos redit, dicitque: Quo ego tunc fui periculorum mortisque contemtu, eodem et nunc sum, nil mali timens, omnia magna appetens; timiditas enim a magnis facinoribus avertit, vera nobilitas in audaci cernitur peregrinatione, qualem ego et olim suscepi et nunc etiam similem perago lubenter, vs. 30-35. Ex his intelligitur, quod caeteroquin mirum videatur, quare poëta expeditionis illius amatoriae exitum non referat, sed, subito aliarum rerum cogitatione abreptus, illius plane obliviscatur. Intelligitur vero etiam, facilem esse sensuum affectionumque in hoc carmine progressionem, cum ab excelso pristinae fortitudinis sensu ad praesentis suae fortitudinis laudes, et hisce oppositum ignaviae humanae contemtum transeat poëta, atque in hoc diu haereat, deinceps in alias et laudes suas et vituperationes inimicorum suorum abiturus.

Ad vs. 30 — 35.

Primum igitur magna cum indignatione ignaviam quamcunque vituperat poëta, eique oppositam fortitudinem impense laudat, vs. 30-35. Et haec quidem orationis gravitas atque vehementia ab ipso poëtae animo profecta est, qui fortitudinem universam admirabatur, omnem vero aversabatur torporem. Sed postea idem inimicos suos, miseriae suae omnis auctores, exagitat tanquam insipientes atque viles, simulque istorum pravitatem suae opponit praestantiae, vs. 37. sqq. Itaque in nostro loco sunt quidem omnia universe dicta et prorsus indefinita, cum propter reliquam orationis formam, tum propter secundae verborum personae singularis usum, qui saepe apud Arabes occurrit, si quae ad homines quosvis monendos universe proferantur (1); sed pessimos tamen istos inimicos tecte significavit Tograjus, horumque cogitatio effecit, ut in perstringenda ignavia acerbior fieret oratio et in laudanda fortitudine gravior. Quibus cum accederet, quod universae gentis

(1) Conf. annotatio ad vs. 48.

tis Arabicae ingenio ipsum hoc argumentum unice consentaneum esset, fieri non potuit, quin et vis orationis maxima esset in his versibus et color poëseos plane Arabicus.

Vs. 30. صاحبه *Si cui comes adsit*, rel. Proprie vertendum est: *Amor incolumitatis avertit mentem socii sui.* Vox صاحب vulgo *sodalem*, *comitem* significat; latissime vero patet ejus usus, ut indicet aut alicujus rei *possessorem*, aut aliqua re *praeditum*, aut rei *obnoxium.* Itaque videri possit hic versus simpliciter vertendus: *Homo incolumitatis studio unice ductus nil magni peraget, sed piger fiet.* Et sane haec sententia, quippe verissima ac gravissima, iis etiam verbis propriis enunciata, placeat. Verum mihi videtur in hoc versu non propria esse oratio, sed tropica. Nam uti Cicero graviter de litteris humanioribus dicit: *Pernoctant nobiscum*, *peregrinantur*, *rusticantur* (1), ita et a poëtis Arabibus heroës laudantur, *virtute sola tanquam socia* aut *animi constantia tanquam comite* gavisi (2), et Ibn Doreidus *amorem* fingit ut *sibi adhaerentem comitem* (3), et ipse Tograjus vs. 8. *generositatem* descripsit ut *semper secum versantem sociam.* Pariter hoc loco mihi videtur describi *socia quaedam ad alia impellens hominem*, *ab aliis avocans.* Atque uti ex nimiis cupiditatibus orta sollicitudo ab Horatio dicitur esse *timor et minae*, quae

Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra cura (4);

ita apud Tograjum sollicitudo ex nimio incolumitatis studio profecta dicitur *pessima esse hominum comes*, *quippe quae avocet eos a magnis quibusque facinoribus ducemque se praebeat ad ignaviam omnem et torporem.*

Vs. 31. Duplex in hoc versu dictum proverbiale usurpatur. Alterum hoc est: *Latibulum tibi prehende*, ductum a speluncis, quae duos pluresve ha-

(1) Orat. pro Archia C. 7.
(2) Exc. Ham. p. 424. vs. 9. p. 456. vs. 11.
(3) Carminis vs. 108.
(4) Carmin. L. III. O. 1. vs. 37 sqq. Conf. L. II. O. 16. vs. 19 sqq.

habeant exitus, in quibus adeo et latere possint, et vero tuti esse homines, qui, si quis eos ab altera parte adoriatur, velint ab altera parte aufugere. Alterum hoc: *Per scalam adscende*, petitum ab iis, qui, se ab hominum commercio segregantes, vel locum quemcunque subliniorem, vel saxum quoddam praeruptum conscendant. Utrumque de hominum societate linquenda usurpatur in Corano C. VI. vs. 35., posterius a poëta quodam adhibetur de ignavo homine, qui pugnam mortemque turpiter effugere studeat (1). In nostro loco timidis hominibus id consilii datur, ut sub terra sese abscondant in spelunca, e qua facile etiam effugiant, si quis eos insectetur, aut ut in tam altum potius praeruptumque locum abeant, ubi nemo eos assequi possit. Horum dictorum acerbitati verba ipsa sunt consentanea. Verbum اتخذ in 8. specie h. l. non est *parare*, sed *sibi arripere manu injecta:* quo anxii hominis sollicitudo significatur. Nomen نفق *latibulum* designat *e quo facile effugias*, quale sibi effodere solent talpae. *Sese proripere*, اعتزل, proprie est *sese detorquere ad latus*, *ut quis hominum societatem effugiat.* Denique scalam *in aethere* arripere dicitur is qui prae metu quam altissime adscendat.

Vs. 32. غمار *Gurgites.* Simili fere imagine usus est Horatius:

Rectius vives, Licini! neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum (2).

Sed poëta Arabs et grandiori utitur oratione, et vero *altum* omnino *urgendum* esse censet, imo audacter hac in re omnibus praeeundum. *Gurgites*, sive effusa copia aquarum in voraginem sese vertentium, imaginem saepe praebent periculi et calamitatis maximae. Proelii pericula vocantur *belli voragines* (3) et *in barathrum praeceps irruere atque calamitatum undis*, غمرة, *obrui* dicitur is, qui quibusvis malorum fluctibus objicitur (4). Hoc

(1) Exc. Ham. p. 524 vs. 11.
(2) Carm. L. II. O. 10. vs. 1-4.
(3) Vita Timur. I. p. 196.
(4) Ibn Dor. vs. 27, 28, 131.

Hoc loco is, qui audacia et gloriosa facinora peragit, censetur veluti altos agitati maris fluctus conscendere. Atque eadem audaciae significatio est in ipso verbo ركب, quod cum proprie dicatur de *conscendendo* equo, eoque Arabico, non facile domando, deinde de quacunque *re ardua aggrediendo* usurpatur; ut dicatur aliquis cupiditates, pericula, terrorem mortemque tanquam *equos refragantes conscendere*, *ut laxatis habenis audacter proruat* (1). Reliqua acerbe dicuntur: Haec tu fortioribus relinque, quisquis es timidus; ipse vero humili quavis et tenui aqua esto contentus! Verbum قنع quod *animum contentum* significat, adjunctam habet *humilitatis* notionem, est enim proprie *inclinato capite humiliter rogare* aut *sese contrahere* (2). Aestuanti aquarum copiae opposita vox بلل adhibetur de *rore exiguo* et *tenui quavis humiditate*, estque proprie *levis quaedam conspersio*, quae sane periculo vacat, sed et gloria omni.

Vs. 33. رسيم *Cursu concitato.* Hoc vocabulo quasi ob oculos ponitur ipse camelorum celeriter currentium incessus. Etenim a verbo رسم, quod *consignandi* notionem habet, ductum est hoc nomen, significatque *celerem cursum* camelorum, qui cum plerumque non leviter premant vestigia, si intentis nervis celeriter procedant, *alta pedum signa* relinquant in arena deserti. Et in his quidem de sua ipsius in peregrinando audacia cogitavit Tograjus, sed idem eam celebravit fortitudinem, qua universis Arabibus nulla habetur gloriosior (3).

ذليل *Servilis.* In toto hoc versu continua est vocabulorum oppositio, de oppositis hominum ingeniis adhibitorum. *Celeri camelorum cursui*, quo delectetur heros, opposita est *vitae tranquillitas et torpor* ignavorum hominum. In nomine مسكنة et *debilitatis* et *ignobilitatis* notio est, in opposito عزّ et *fortitudinis* et *gloriae.* Sed nihil a poëta ad inimicorum suorum reliquorumque hominum torporem perstringendum acerbius poterat eligi, quam illa in vocabulis ذليل et ذلال, ab eodem verbo derivatis, parono-

(1) Conf. Schultens ad Exc. Ham. p. 428. sq.

(2) Vid. Schultens ad Harir. Cons. V. p. 87. et Scheidius in Schediasm. Philol. p. 27 sqq.

(3) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 59.

nomasia. Camelos enim, quibus vehitur vir fortis, dicit *servilia* esse animalia, *serviles* vero etiam vocat homines, qui nil aggredi audeant. Quid? quod serviles cameli celeriter currunt, serviles isti homines tranquilla vita torpent semper, cum soleat Arabibus *vir, qui domi delitescat, similis videri mortuo, qui manet in sepulcro* (1).

Vs. 34. نحور *Fauces.* Verborum in hoc versu constructionem si spectes, proprie vertendum est: *Prorue in deserti fauces, cum camelis celeriter currentibus, aequantibus capistra habenis. Capistris* sive funibus e pilis corioque confectis et capiti collove injectis regi solent cameli. *Frenis* ergo, quae equis adhibentur, si *aequentur capistra*, equos celerrimos cameli cursus celeritate aequant. Quae ipsa celeritas quo major effingeretur, et simul oculorum veluti sensui subjiceretur, addita est vox مثاني, quae et *flexuras* et *extremitates* significat, hoc autem loco indicat *extremas habenas, quas inflexa manu teneas, ne elabantur.* Et haec quidem perspicua sunt; difficilior vero est interpretatio vocis نحور. Significat ea proprie *jugula*, tropice autem dicitur de *intima parte* rei cujuscunque, ut possit hoc loco simpliciter verti: *In intima prorue deserta* (2). Sed uti apud Latinos aliquis *ex periculorum faucibus eripi* et *ex belli ore ac faucibus eripi atque servari* dicitur (3), ita apud Arabes *aurora* proponitur *gladio suo noctem stellasque fugans, caliginem vero tanquam hostem jugulans* (4); et qui navigat, *findere maris jugulum* dicitur (5); imo vero, qui deserta peragrat, fingitur *secare vertebras deserti, prout secat gladius Indicus* (6). In nostro autem loco desertum significari periculosum et tanquam faucibus suis homines devorans, ipsum quodammodo docet ejus nomen بيد, quod proprie significat *loca vehementer exitialia.* Itaque videtur is, qui in deserta proruit, similis fingi heroi, qui in hostem irruit, eum continuo jugulaturus; vel, quod malim, audacissimo viro, qui feram apertis faucibus minitantem invadit, ut eam

(1) Vid. apud Pocockium ad Togr. vs. 35.
(2) Vid. v. d. Sloot ad h. l. Conf. Schultens Clav. Dialect. p. 273.
(3) Cicero de Orat. I. 52. Orat. pro Arch. 9.
(4) Vid. apud v. d. Sloot ad h. l.
(5) Vid. Cl. Willmet Lex. in voce.
(6) Vit. Timur. I. p. 320.

eam strenue jugulet. Quae imago eo facilius de desertis potuit adhiberi, cum haec ipsa deserta sint saepe propter feras horrida.

Vs. 35. Ibn Doreidus ut paucis verbis significaret, quam periculosum sit, vagari in desertis, nocturnum peregrinatorem finxit *familiariter consuescentem cum lupis, qui vesperi fame contorquebantur et ululabant* (1). Et vero tantum in eo periculi est, tantumque ad id aggrediendum requiritur fortitudinis, ut summo jure gloriosae habeantur cum camelis expeditiones. Hoc ergo antea vs. 33. recte jam suo nomine erat professus Tograjus; nunc ipsam Excelsitatem audire sibi videtur, idem monentem. Scilicet, uti apud Salomonem ipsa Sapientia conciones habet ad urbium portas (2), ita saepe poëtae Arabes aut Procellas audire loquentes sibi videntur (3), aut Fortunam concionantem hominesque monentem (4). Si qui vero heroës neminem sibi parem habeant aut secundum, hos eximiis verbis ipsa laudat Excelsitas (5). Quam ob rem, cum poëta noster antea vilem quandam sociam finxerit ignavos homines comitantem, vs. 30.; mirum non est, si nunc sibi quoque ipsi ducem perpetuam adesse dicit, eamque praestantissimam, ab animi excelsitate nomen habentem, cujus in mediis desertis hanc audiat vocem: In peregrinatione gloria est! Neque vero etiam mirum est, eum huic voci lubenter obtemperasse; nam uti sapientissimo Salomoni unice placebat Sapientiae sermo, ita viro Arabi, quod ipse ex animo profitetur heros, hac Excelsitatis voce gravior nulla esse potest, nulla veracior.

Ad vs. 36 — 38.

Quamvis vero fortissimus esset Tograjus et hac fortitudine longe superaret suos inimicos; hos tamen primis in imperio honoribus fruentes, se contra pristina dignitate videbat orbatum. Itaque ab animi sensibus et indolis diversitate ad externam vitae conditionem et fortunae vicissitudines contemplandas pro-

(1) Carm. vs. 206.
(2) Proverb. VIII.
(3) Ibn Dor. vs. 126, 127.
(4) Idem vs. 158.
(5) Idem vs. 65.

procedit. Uti autem in antecedentibus eum audivimus virum fortem, juvenili etiam nunc vigore plenum ignaviaeque vituperatorem; ita in his apparet senex infortunatus, injuria sese affectum sentiens, idem vero splendidae invisorum hominum fortunae contemtor: in utrisque vero cernitur vir suae sibi praestantiae conscius. His ergo versibus 36 - 38. sese declarat virum esse magnum, quamvis contemtum, istos, quamvis honoratos, homines stupidos pravosque. Quos cum antea tecte significasset et clam perstrinxisset, nunc aperte eosdem indicat, atque, si omnia pro meritis agerentur, se in eorum dignitatem evehendum, istos in suam ipsius miseriam detrudendos esse palam profitetur.

Vs. 36. الشمس *Sol.* Exquisita saepe verba adhibet Tograjus. Itaque si vulgarem vocabulorum usum spectes, prior hujus versus pars verti possit: *si nobili conditione nihil esset homini ad consequendum optabilius.* Verum, etsi summos in imperio honores omnino spectavit poëta, vox tamen ipsa شرف non modo *illustrem conditionem* significare solet, sed proprie adhibetur de eo, *quod ex alto coruscat*, et peculiariter usurpatur de *eminentiori solis sede* (1). Cum ergo honores in hoc ipso loco soli comparentur, nullum aptius vocabulum adhiberi potuit de *splendido honorum gradu.* Similiter vocabulum بلوغ vulgo est *consecutio* votorum. Verum cum verbum بلغ universe quidem *penetrandi* notionem habeat, sed peculiariter tamen *consummandi*, *praestandi*, *ejusque*, *quod summum est*, *attingendi*, recteque adeo nomen بلوغ verti possit *apex*, *fastigium;* haec ipsa altitudinis significatio a poëta spectata esse videtur, cum et de honorum excelsitate et de solis altitudine loqueretur; ut acute adeo dixisse censeatur: Si quae dignitates sint summae, non ideo tamen summa in iis est felicitas.

Sol autem si in Arietis signo est, dicitur ab astronomis Arabibus esse in *exaltatione* sive in *sede eminentiori*, idque propterea, quod verno tempore altius surgat, donec in aequinoctii signum, quod in Ariete est, venerit et per universam terram nocti diem reddat aequalem (2). A poëta autem soli tribuitur ha-

(1) Conf. Pocock. ad h. l.

(2) Ita Alfergan. Elem. Astron. p. 17, 23. Conf. v. d. Sloot. p. 152. ubi verba استوايها et اعتدالها non vertenda sunt *aequationis* et *aequabilitatis ejus*, sed, coll. Gigg. Lex. p. 996. et Alferg. l. l., significare videntur *aequinoctii* tempus.

habitaculum, cum splendidis aulicorum hominum sedibus quodammodo comparandum, et consilia ei tribuuntur, quibus, si et ipse existimaret gloriosam esse unam sedis eminentiam, hanc nunquam relinquendam esset judicaturus. Imo hoc solis exemplo utitur poëta ad ea docenda, quae in hominum unice moribus et animorum natura sunt posita. Uti enim Horatius mediocritatem amico suo commendaturus, ratiociniis utitur, a naturae contemplatione petitis:

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus: excelsae graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes (1);

ita frequenter solent poëtae Arabes omnem rerum corporearum naturam tanquam animatam sibi fingere, quae suo exemplo homines doceat, moneat, consoletur. Sic *gloriosissimae stellae, cum et ipsae aliquando occidant, nihil in rebus humanis plane expers imperfectionis expectandum esse* docent (2). *Ensis* vero, *qui non scindit dum est in vagina*, et *ignis*, *qui non urit nisi ex igniario evolaverit*, et vero ipse *sol*, *qui per signa coelestia procedit*, docent hominem graviterque monent, *domo exeundum esse*, *et*, *si quid perficere velit*, *peregrinandum* (3). Similiter ergo Tograjus, sentiens quantum praestet, si quis exsul ardua fortiter suscipiat itinera, quam si in aulae splendore summis honoribus fruatur molliter: Ipse hoc, inquit, sol docet, qui per omnes coeli regiones quotannis procedere mavult, quam in una eminentiori sede commorari.

Vs. 37. أهبت *Clamassem.* Interpretes vertendum duxerunt *clamavi*, ut censeatur Tograjus revera meliorem sortem omni studio a fortuna petivisse. Sed quamvis subsequens conjunctio لو possit fortasse verti *ac si*, vel *o si*, quod nonnulli fecerunt, aut certe post optandi verba saepe significet *ut* (4), possisque adeo locum interpretari: *Clamavi ad fortunam*, *precatus ut ad me attenderet*; tamen malo equidem consuetam ejus conjunctionis significatio-

(1) Carm. L. II. O. 10. vs. 9-12.
(2) Ibn Dor. vs. 188.
(3) Vid. apud Pocockium ad Togr. vs. 35.
(4) Uti Coran. C. II. vs. 90. Amralk. Moall. vs. 24.

tionem *si* servare, atque hunc locum vertendum puto: *clamassem ad fortunam*, *si invocassem audientem*, id est, ex consueta dicendi ratione Orientalium, *si scivissem*, *si putassem*, *me invocaturum esse illam audientem*, sive *nisi scivissem me surdam invocaturum*. Itaque significare poëtam existimo, noluisse se fortunam invocare, quippe quae probos homines seque adeo ipsum audire non soleat, sed solis insipientibus sit propitia. Etenim ex linguae ratione grammatica أهبت verti potest, conditione addita, *clamassem*. Verba quidem hoc modo exponenda ante se habent saepe particulam intensivam ل, sed fit illud, si conditio vocibus expressa praecesserit, neque id etiam aut semper fit, aut necessario requiri videtur (1). Eandem autem versionem suadet oratio contexta. Qui enim versu 36., proxime antecedenti, exiguum honoris sibi pretium esse declaraverat, quique altera hujus ipsius versus 37. parte atque vs. 38. fortunae perversitatem acute perstringit; idem superbus fortunae contemtor mihi videtur hoc loco magis in Fortunam acerbe dicta proferre, quam queri demisse. Ut sensus sit: Equidem, si aequa esse soleret Fortuna et optimos quosque maxime exaudiret, eam invocassem; nunc istam invocare nolui, quippe quae insipientibus juvandis occupetur demens.

Caeterum uti hoc loco mente consilioque praedita fingitur Fortuna, ita Ibn Doreidus quoque humanam ei formam tribuit et compluribus eam versibus continuis alloquitur (2): quibus in versibus quamquam eximia etiam est et animi fortitudo et dictorum acerbitas, Tograji tamen et brevior est et magis acuta oratio, cum surdam esse dicat Fortunam, quippe quae et nolit bonos audire, cum soleat esse iniqua, et nequeat, cum ipsius aures continuis stultorum clamoribus undique circumsonent.

Vs. 38. نام *Obdormiret*, rel. *Dormire alicui*, sive *aliquo neglecto*, uti antea ad vs. 15. vidimus, ille dicitur, qui tam parum eum curat, ut somno sese facile tradat: *alicui evigilare* autem, qui ejus rationem habere incipit. Inimicorum ergo suorum dementiam et suam praestantiam tantam esse di-

(1) Vid. Erpen. Grammat. p. 50. atque conf. *Grammaire Arabe par Silvestre de Sacy*. P. I. p. 124, 125.

(2) Carm. vs. 18 sqq.

dicit poëta, ut, alteram si videat Fortuna probeque dijudicet, eam ita negligendam esse sit existimatura, uti res omnes negligunt qui somno sese tradunt; alteram contra si attendat, nolit amplius veluti dormire, sed evigilet subito, eique omnibus modis prospiciat. Quae dormiendi et evigilandi imagines eo erunt pulcriores, si, collato vs. 2., statuamus, poëtam, cum hujus carminis argumentum sibi sumeret tractandum, orientem vidisse ipsum solem, qui ad evigilandum e somno excitaret.

Ad vs. 39, 40.

Nihil homini spe dulcius, nihil infelici carius est: spes et ignavum in mediis difficultatibus excitat et vero exhilarat heroëm. Itaque heros noster cum se, quamvis fortem, infelicissimum esse dixisset, addit, non omnino se de sua sorte desperare, vs. 39. Cumque imbecillis animi sit desperare, sed virum magnum deceat, semper majora expetere; hoc perspiciens Tograjus ait, se nunquam in sorte sua acquievisse juvenem, atque adeo magis etiam senem se nunc altiora quaevis et meliora sectari, vs. 40. Quid autem speraret, satis ipse indicavit, cum paulo ante, vs. 38., dixerit, forte aliquando faventem sibi fore fortunam, dummodo ex aequo aestimaretur sua virtus, cumque postea, vs. 42., significet, id se dolere maxime, quod opportunitate careat, magna quaevis et suo ingenio digna facinora perficiendi. Optabat ergo, ut in pristinam dignitatem restituto, sibi denuo liceret eximia quaeque et hominibus utilia peragere, pulsis et immerito honore privatis pessimis adversariis: id vero ita optabat idem, ut nollet se ad id consequendum similem reddere vilibus istis hominibus, vs. 41, 42., aut humiliter supplicare, vs. 37. Ita ergo animatus poëta, hanc eximiam spem descripsit, qua nullum homini gratius donum a Deo datum est, quaeque in mediis etiam desertis floret ac vultui senili juvenilem addit hilaritatem.

Vs. 39. أعلل *Lacto.* Apud Ibn Doreidum spes *fulcrum* vocatur, hominem sustentans infelicem (1); alibi *jucunda itinerum comes* appellatur (2). Sua-

(1) Ibn Dor. vs. 99.

(2) Apud Pocockium ad h. l.

Suavissima vero est imago, quae et apud Tograji aequalem Haririum (1), et apud hunc ipsum poëtam nostrum occurrit, qua ita spes animum mulcere dicitur, uti infantem mulcet lac maternum. Pariter Terentius: *Pollicitando eorum animos lactas*, atque *Lactasses amantem et falsa spe produceres* (2). Est vero haec similitudo aptissima homini infelici, cujus *dolores* omnes et *desideria* et *curas lenire* sola potest spes, in eo mammae maternae similis, quam recte Homerus *λαθικηδέα μαζὸν mammam vagitus sedantem* appellat (3).

ما اضيق *O! quantae angustiae.* Hunc locum ita explicuit commentator Arabs apud Slootium, ut censeatur dixisse poëta prae moerore se moriturum, nisi vita produceretur spei solatio. At poëta non *brevem* vitam *produci*, sed *angustam* dicit *extendi.* Alius vero commentator Arabs versum quendam laudavit, in quo *votorum periodus per spem ampla esse facta* dicitur, *cum vita esset angusta.* Pariter Ibn Doreidus hominum *sortem veluti lineis ductis delineatam* esse ait, eamque, si incommoda sit, vocat *angustam* (4): atque apud Hebraeos vox ipsa *amplitudinis* laetitiam liberationemque, *angustiae* contra mala quaeque et aerumnas designat. Ita ergo a Tograjo etiam *in angustiis posita vitae conditio spe amplificari* dicitur, quia spes ex aerumnarum angustiis ita animum ad feliciorem statum adducit, ut possit liberius veluti respirare.

Vs. 40. مقبلة *Veniebant.* Duae dari possunt hujus versus interpretationes. Vox مقبل, *accedens*, significat etiam *prosperum*, quo sensu *fortuna accedens* dicitur si *prospera* sit (5). Hinc ergo contrarium verbum ولي *tergum obvertit*, *recessit*, intelligendum erit de fortuna *afflicta.* Scholiastes vero Arabs *dies accedentes* dicit esse *juventutem*, *recedentes* autem *senectutem:* ut aetas ad maturitatem procedens *venire et adversa facie accedere* dicatur, aetas vero inde delabens *recedere et tergum vertere.* Equidem posteriorem hanc interpretationem praefero. Primum enim *prosperi* et *adversi* signi-

(1) Cons. II. p. 46.
(2) Andria. A. 5. S. 4. vs. 9. et A. 4. S. 1. vs. 24.
(3) Iliad. X. vs. 83.
(4) Carm. vs. 212, 215.
(5) Ita certe proverbium Arabicum explicuit Schultens, Meidani Prov. Arab. p. 178.

significatio in illis verbis rarissima est. Deinde, quod dies *festinanter* recedere dicuntur, id magis aetati ad finem properanti, quam fortunae tergum obvertenti convenire videtur. Tum vero, pulcra est ea dictio et aptissima. Solent enim homines virilem aetatem tanquam vitae suae ἀκμὴν sive fastigium considerare, e quo lubenter omne vitae spatium contemplentur: quare juvenes fere in futuram aetatem prospiciunt, senes in praeteriti temporis memoriam respiciunt, tanquam suaviorem. Ita ipse Tograjus vs. 2. *juvenilem gloriam soli in medium coelum procedenti* comparaverat, *senilem eidem occidenti.* Horatius autem, de varia hominum aetate loquens, ait:

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt (1).

Denique nec reliquae totius hujus loci sententiae, neque universae Tograji indoli convenire mihi saltem videtur, ut dicat, ne felicissima quidem fortuna se contentum fuisse, nedum in miserrima animo posse esse contento. Ipse enim postea profitetur, limpidum sibi olim fuisse prosperitatis fontem, nunc autem parvo sese esse contentum, vs. 54 - 56. Sed cum vs. 38, 39. coll. vs. 42. dixisset, se etiamnum sperare fore ut, per ipsam animi sui praestantiam in meliorem restitutus conditionem, eas ipsas animi facultates posset denuo in hominum utilitatem palam ostendere, cumque mox dicturus esset, se, quo magis animum suum cognovisset, eo illum pluris aestimasse, vs. 41.; in versu hoc 40. vir magnus et generosa ambitione plenus: Juvenis, inquit, equidem in vita mea nunquam acquievi, ad majora semper et meliora tetendi. Quid ergo, cum jam in hac mea senectute perparum vitae supersit? Nonne optem, et omnibus viribus ad id tendam, ut, quantum fieri possit, reliquum vitae spatium contingat fortunatum, et utilissimum aliis hominibus, et mihi gloriosissimum?

Ad vs. 41, 42.

Mira est in hac posteriore carminis parte affectionum diversitas. Nam primum et indignatur de inimicis et praestantia sua gloriatur, vs. 30 - 35., dein-

(1) Ad Pisones vs. 175 sq. Conf. Carm. L. II. O. 5. vs. 13-15. ibique Mitcherlich.

deinde et fortunae iniquitatem spernit et eandem forte aliquando aequiorem fore sibi persuadet, vs. 36 - 38., tum meliora quaeque et magis gloriosa sperat, vs. 39, 40., porro animi bonis laetatur, vs. 41, 42., mala fortunae luget, vs. 43 - 45., erigit se consolando, vs. 46, 47., vituperando alios deprimit, vs. 48 - 53., tandem reliqua omnia vana esse docet, solam laudat animi praestantiam sapientiamque, vs. 54 - 59. Sed huic affectionum diversitati aequalis est indolis constantia. Neque enim quicquam luget, nisi pravos homines esse fortunatos, nil sperat aliud, nisi feliciorem se aliquando fore, quippe praestantem; atque cum in vituperando spernendoque ignaviae odium, tum in laudando gloriandoque amorem ostendit fortitudinis. Et hanc quidem in mediis quasi fluctibus affectionum immobilem consilii indolisque constantiam exprimunt etiam hi versus 41, 42. Etenim quum paulisper externae suae conditionis ingrata cogitatione esset abreptus, vs. 37 - 40.; subito ad se redit et supra fortunae aestum sese efferens, magnifice externa omnia spernit, et de animi sui praestantia praedicat, utpote quae, si vel impediat fortuna quominus publice conspici aestimarique ab hominibus possit, per se tamen sit maximi aestimanda.

Vs. 41. غالى *Aestimavit pretiosissimum.* Proprie ipsa *Cognitio aestimare animum* dicitur. Simili fere modo Antara dicit *succurrisse sibi Ingenium suum* (1). Animi vero praestantiam cum auri argentive pretio comparare saepe solent Orientales, quippe rerum pretiosarum studiosissimi (2). Tograjus autem eo ipso, quod fortunae bona ipsi effluxissent omnia, didicerat, aliunde esse, neque extra se, sed ex sua ipsi mente hauriendum, quo posset animi desideria restinguere, coll. vs. 54 - 56.

صنتها. *Recondo illum.* Acerbus est loci sensus, ex ipsa ortus adversa viri fortuna, per inimicorum perfidiam contracta. Res pretiosas recondere solemus, si nemo adsit, qui eas aestimare queat, nullusque adeo earum usus esse possit. Senex ergo, perfide habitus, cum vilissimis hominibus familiariter versari nolebat, neque coram istis pretiosas animi sui facultates os-

(1) Moall. vs. 72.
(2) Conf. comment. nostrae P. I. C. II. p. 49.

ostendere, cum hi neque in se, quod aestimari mereretur, haberent quicquam, neque adeo de aliorum hominum virtute rite existimare possent. Par est in verbis ipsis acerbitas; nam غالي, quod *magni aestimare* significat, proprie de eo dicitur quod *alte eminet*, et رخيص, quod *vilem* designat, proprie, collato Hebraico רחץ, est *pedibus conculcatus*. Poëta antiquus cecinit:

لقد زادني حبّا لنفسي انّي بغيض
الي كلّ امرئٍ غير طايل *
وانّي شقيّ باللئام ولا تري
شقيّا بهم الّا الكريم الشمايل *

Sane hoc mihi auget mei ipsius amorem, quod odio habeor
Omni homini, cui nil bonae est frugis,
Quodque miserabilis habeor a sordidis; non enim videas
Miserabilem ab iis haberi, nisi indole perquam ingenuum (1).

Vs. 42. نصل *Ensis.* Quam insignis haec sit comparatio, intelligi potest ex Caab ben Zoheiro, qui hanc summam celebrat Mohammedis laudem, quod sit *gladius Indicus*, *e quo*, *si stringatur*, *lumen effulget* (2). Cum ergo Tograjus vs. 4. ensi sese assimilans, ornamentis omnibus privato, tecte significasset, se, quamvis honore destitutum, insita tamen mentis praestantia esse spectabilem, nunc idem hoc aperte declarat, proprium ensis nominans fulgorem, ex quo quam ille praestans sit, quidque, si adhibeatur, sit effecturus, oculis percipi potest. Eleganter autem, dum se gladio comparat, huic ipsi gladio humanos tribuit affectus; dicitur enim proprie *hic mos esse gladii*, *ut suo splendeat fulgore*. Quare etiam exquisita est vox زها, quae non modo *splendendi*, sed etiam *gloriandi* notionem habet.

وليس *Licet nil*, rel. Respicitur proverbium Arabicum, ensis exemplo docens, nihil efficere aut machinas aut vires quascunque, nisi adsit iis utendi opportunitas (3). Hoc autem usus poëta non demisso animo de fortu- nae

(1) Exc. Ham. p. 500 sq.
(2) Carm. vs. 51. Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 58.
(3) Vid. Pocock ad h. l.

nae suae externa conditione queritur, sed gloriatur de interna animi sui praestantia, spretis rebus externis. Quare cum animum antecedenti versu ostendisset, iniqua quidem impeditum fortuna, sed suae sibi praestantiae conscium, imagine usus gemmarum aurive, quod suum pretium habeat, quamvis lateat reconditum; nunc aliam addit similitudinem gladii, qui habeat quo glorietur, et splendore sibi proprio fulgeat, etiamsi se non exhibeat in proelio, cum desit opportunitas: quique adeo aptam praebeat imaginem illius honesti, quod, licet a nemine laudetur, tamen est per se laudabile.

Ad vs. 43-47.

Quamvis probe sentiret Tograjus graviterque affirmaret, suum virtuti constare pretium, etiamsi eam ostendendi deesset occasio; tamen hanc ipsam facultatum suarum exserendarum opportunitatem vehementer desiderabat, et qui calamitates facillime ferre potuisset, si solis ipsum vitae commodis et voluptatibus privassent, easdem propterea molestius tulit, quod omnem ingenii animique praestantiam longe ab hominum conspectu in desertorum solitudine concludere ipsum cogerent. Erat autem, ut saepius jam diximus, hujus adversae fortunae causa primaria in viri inimicis, qui cum mentis dotibus gloriam ejus assequi non possent, eo rem perduxerant artibus dolisque, ut ille munerum saltem honoribus destitueretur, ipsique ejus locum occuparent. Haec ergo omnia cogitans poëta, iisque graviter affectus, fieri vix potuit, quin fortunae iniquitatem acrius perstringeret et in vilissimos istos homines vehementer inveheretur, vs. 43-45. Sed mox tamen ad praestantiae suae sensum redit, et sibi certe dolis omnibus abstinendum malaque constanti animo ferenda esse videt, cum in humili etiam fortuna virtuti suum maneat propriumque decus, vs. 46, 47.

Vs. 43. Exquisita sunt verba. Qui in altum sublati erant per fortunam, ingenio contra suo dicuntur fuisse سفل *faex subsidens*, sive *infimis sordibus* similes, loco quovis imo deprimendis. Fortunae autem conversio, qua, depresso praestantissimo viro, isti *in altum tollebantur*, vocatur دولة, quae vox proprie dicitur *de duabus situlis*, *uni rotae affixis*, *quarum dum altera in* pu-

puteum deprimitur, *elevatur altera et in altum attollitur.* Quibus ergo cum ita essent similes Tograjus ejusque inimici, ut hi humillima indole conspicui in summos evecti essent honores, ipse contra ex summo loco, ingeniique excellentiae consentaneo, in infimum esset detrusus; merito iniquissima ipsi videbatur fortuna. Ast solet fortuna, ut ait poëta Arabs, *rotae aquariae esse similis*, *qua reciprocantur laeta et tristia*, *ut mox in coelum quis attollatur*, *mox in loco jaceat imo* (1).

Vs. 44. تقدمتني *Antepositi sunt.* Placet Arabibus cursus imago, quippe qui hanc summam herois laudem celebrent, si sit pedibus velox, sive, ut ipsi ajunt, si *volucres celerrime volantes cursu praevertat*, aut *ventum cum turbine irruentem cursu assequatur et antevertat* (2). Itaque pulcre poëta inimicorum tarditatem et ingenii sui celeritatem cursui compatat, in quo sint qui omnes vires intendant, sit etiam qui, cum longe citius currere possit, id commodo suo faciat, quem tamen isti nullo modo assequantur. Fortunae autem iniquitatem, qua mentis dotibus contraria est sortis distributio, acute significat propria verborum notio, qua dicuntur *multum antecedere*, *qui ne citato quidem cursu lente ambulantem assequi possint.* Quod alius quidam Arabs ita enunciavit: *Praecesserunt me homines*, *qui ne digni quidem erant*, *ut post me portas intrarent* (3).

Vs. 45. Pulcrum censent Arabes, si *gloriosae mortis amore citius quis ad vitae terminum accedat*, turpe contra, *si mortis metu diutius ab eo recedat* (4), aut si quis *vitam emat opprobrio* (5); et pro hoc praecipiunt, *sine dedecoris macula potius generose esse moriundum* (6). Ipse autem Tograjus hunc incolumitatis amorem dixerat pigri esse ignavique hominis, vs. 30. Itaque mirum non est, poenituisse eundem voti de vita longa olim fac-

(1) Vid. de hac imagine Schultens, de defect. ling. Hebr. §. 275, 276. Conf. idem ad Salom. proverb. XX. 5.

(2) Schanfari in *Silvestre de Sacy Chrestom. Arab.* I. p. 316. vs. 36, 37. Conf. III. p. 6, 25, 26. et Exc. Ham. p. 398. vs. 5.

(3) Vid. Scholiastes apud v. d. Sloot ad h. l.

(4) Exc. Ham. p. 466. vs. 11. Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 57.

(5) Exc. Ham. p. 524. vs. 11.

(6) Ibid. p. 532. vs. 2.

facti. Neque enim illud optaveram, inquit vs. 43., ut summa mihi foret sine honore senectus, cum aliis interim maxima contingeret sine meritis dignitas. Acute ergo addit hoc vs. 45.: *Ita vero exaudiuntur mea vota*, sive potius, quae propria est vocis جزاء significatio, *hoc praemium*, *haec remuneratio est.* Quod cum dicat, denuo cogitare videtur iniquam istam Fortunam, rerum humanarum dominam, dona sua pro arbitrio distribuentem. Ab hac ille beneficii loco longam sibi vitam optaverat. Concesserat ista longam, at infelicissimam. Ita precantem audit scilicet et sui cultorem remuneratur Fortuna!

Vs. 46. Magna est in hoc loco ad eandem rem significandam copia imaginum et varietas. Nam ut sibi adversariisque suis accidisse sortem meritis contrariam significaret poëta, primum sitularum reciprocantium, deinde cursus similitudine usus erat; nunc novam addit eamque splendidissimam comparationem solis, cui sese lubenter solebat assimilare. Arabes autem septem sibi fingebant orbes, in quibus sidera errantia moverentur, quorumque primus, terrae proximus, esset Lunae orbis, secundus Mercurii, tertius Veneris, quartus Solis, quintus Martis, sextus Jovis, Saturni denique septimus (1). Cum ergo Sol lucis splendore longe sit Saturno superior, sede contra longe inferior, apta haec imago est viri, illustribus mentis dotibus conspicui, sed fortunae conditione obscuris ingenio hominibus inferioris. Favet huic comparationi nomen ipsum Saturni زحل, quod petitum est a *longius discedendo*, sive, ut ajunt Arabes, *quia multum retrograditur* (2). Non raro autem ad homines monendos consolandosve exempla adhiberi rerum inanimatarum, saepius jam diximus. Ibn Doreidus, cum aeque ac Tograjus externam suam conditionem miseram internae bonitati oppositam esse, aliorum contra in prospera fortuna indolem esse pravam diceret: *Sunt*, inquit, *frutices*, *qui forma pulcri*, *succo pleni*, *lignoque virides videantur*, *quorum est fructus amarus; sunt etiam*, *quorum horridus est adspectus*,

(1) Alfergan. Elem. Astron. p. 45, 46. Simili fere modo rem sibi finxisse videtur Archimedes in sphaera sua conficienda. Vid. Cic. de Republ. L. 14.

(2) Vid. Pocock ad h. l. et locis ibi laudatis.

tus, *fructus vero gustanti suavissimus* (1). Ille igitur ab agro, Tograjus a coeli contemplatione solatium petiit. Imaginem autem si spectes, proxime accedit alius poëtae Arabis dictum: *Ad sedis excelsitatem nitendum non est; animo contento si sis, gloriam habes maximam: summo in coelo non est nisi Saturnus, in inferiori versatur Sol* (2).

Vs. 47. Hic versus, uti diximus, in duobus codicibus MS. deest, deest etiam in prima hujus carminis editione, quae ex eorum codicum uno fluxisse videtur. Sed contra reliquorum codicum auctoritatem non sufficit ad rejiciendum versum illorum silentium, nisi forte ipsa ejus sententia ab orationis contextu sit aliena. Posteriorem autem versus partem ita explicuit interpres aliquis Arabs apud Slootium, ut indicasse censeatur poëta, *fortunae vicissitudinibus factum iri*, *ut inexspectata oriatur liberatio a malis*, *utque dolis adeo opus non sit*. Sed haec liberationis spes tam est aliena planeque contraria exspectationi acerbae, quam sese habere mox significat poëta vs. 48 — 54., ut videantur ea verba aut ab illo non profecta esse, aut aliter explicanda. Verbum autem اغني non modo est *contentum reddere*, *vices alicujus rei explere*, *facere ut aliqua re non opus sit*; verum cum universe significet *facere ut quid fluat*, hinc est et *facere ut affluat*, hoc est *reddere abundans*, et vero etiam *facere ut effluat* hoc est *avertere* (3), et *facere ut transfluat* hoc est *reddere redundans*, *superfluum*, *ut carere eo possis* (4), *utque nullus ejus usus*, *nullum emolumentum sit* (5). Quare recte apud Pocockium locus noster ita exponitur: *Fortuna* ياتيك بما لا تقدر عليه بحيلك *afferet tibi ea*, *contra quae artibus nihil efficere poteris*, hoc est *dolos omnes reddet inanes*. — Fuerant ergo inimici quidem dolis quibuscumque usi, ut Tograjum perderent; ipse vero sese affirmat ea animi esse altitudine, ut malit patienter constanterque sua mala perferre, quam dolis ad sese liberandum ullis uti, quin imo stultum id sibi videri, cum

(1) Carminis vs. 147, 148.
(2) Vid. apud v. d. Sloot ad h. l.
(3) Ita Coran. C. XIV. vs. 24. et C. XL. vs. 50.
(4) Vid. Golius in voce.
(5) Vid. Giggeus in voce.

cum adversus fortunae casus nihil plerumque valeant artes dolique humani. Et sic quidem probabiliter hic versus exponi potest; neque tamen diffiteri volo, poëseos elegantiam, dictionisque acumen, quale Tograjo proprium est, me in hoc versu desiderare.

Ad vs. 48 - 53.

Davides olim, cum ad impiam Sauli aulam veniret integrae mentis juvenis, summam illic in principibus viris perfidiam animadvertebat, quam inter pastores nunquam viderat. Quare istos unice cogitans ita locutus est, quasi nusquam terrarum fidem superesse existimaret, exclamavitque indignabundus: Succurre, Jehova! Nam pii deficiunt, probique inter homines evanescunt: simulate alter loquitur cum altero; labiis blandis, mente duplici loquuntur (1). Pariter Tograjus integrae fidei amantissimus senex maximam in aula perfidiam animadverterat, imo ab ea multum ipse erat passus. Pariterque idem, solos perfidos suos adversarios cogitans, reliquos homines omnes, ipsumque adeo, quem antea celebraverat, dilectissimum socium oblitus, maxima acerbitate in perfidum suum aevum invehitur, vs. 48 - 53.

Etenim, si singularem Tograji conditionem non attendas, est in his versibus, quae te offendat, nimia indignatio et paene odium generis humani. Audire tibi videaris inhumanum illud et minime sapiens Graeci Sapientis dictum: Ama ut osurus! Aut nimium illum rerum humanarum contemtum in sapiente, qui sibi solus sufficere velit, aut odiosam videre tibi videaris ferrei aevi descriptionem, quo sint sola poena coërcendi homines, fides vero omnis et veritas, relictis hominibus, e terra avolarint. Sed non negligendum est Arabum ingenium, apud quos tantum esse solet vindictae studium, ut eximia quaedam habenda sit moderatio, si non aut dolo quis inimicum circumveniat, aut vi aggrediatur. Cogitandus est poëta Orientalis, qui, cum sese perfide habitum sentiat, unumquemque, ut sibi caveat, monet, et poëtico ductus spiritu haec velut edit oracula. Denique observanda est ipsa senis conditio, qui amicorum perfidia e gloriae fastigio in deterrimum statum de-

(1) Ps. XII. 2, 3.

dejectus, eo ipso tempore de pleno pectore versus fundit. Quae omnia si teneamus, non mirabimur profecto, poëtam, cum sensim inter canendum et praestantiae suae et miserrimae sortis sensu magis fuisset commotus, graviori impetu ferri in pessimos adversarios: imo admirabimur potius justissimam perfidiae malitiaeque indignationem, et fidei, amicitiae, veritatisque venerationem, quae in his ipsis est, homine dignissimam.

Vs. 48. Inde ab hoc versu ad carminis usque finem saepe poëta utitur secunda persona singulari, quasi hominem aliquem alloqueretur: idque et vs. 47. agere jam inceperat, et antea vs. 31, 32, 34. eodem modo erat locutus. Et vero saepe poëtae Arabes hac secunda persona utuntur, ut sese excitent (1), aut ut cavendum esse moneant (2), aut ex sua experientia sententiam quandam aliis hominibus commendent (3), aut denique quodcunque de rebus quibusdam sive vitandis sive appetendis judicium consiliumque tradant (4). In quo quantum sit acuminis, docent similes dicendi formae apud gentes quascunque, aut ad persuadendum aut ad movendum aptae, praesertim in sententiis moralibus proverbiisque. Itaque inde a vs. 48. singuli versus gravia quaedam dicta continent, quae ex sua experientia hausit poëta, quorum vero vim ipse penitus sentiens, altiori quasi spiritu actus, ita ea enunciat, ut et quae res sibi accidissent singulares, quasi hominibus omnibus aut saltem optimis quibusque communes consideret, et tanquam supremus aliquis suae aetatis judex hominumque gravissimus monitor atque doctor sententiam pronunciare, officia praecipere, atque ipsius fere sapientiae effata tradere videatur.

Est autem in hoc vs. 48. acerba repetitio vocum similium اعذي عدوك *inimicorum inimicissimus* et acuta oppositio nominum similiter cadentium اعدي et ادني, *inimicissimus* et *familiarissimus*. Cumque prudenter versandum esse cum hominibus moneat poëta, hanc *prudentiam* apto designat vo-

(1) Ibn Dor. vs. 210.

(2) Id. vs. 220. Caab ben Zoh. vs. 10.

(3) Ibn Dor. vs. 157.

(4) Exc. Ham. p. 600 sq. vs. 1, 2, 4, 6, 7. Similiter apud Hebraeos Ps. XXXII. 8, 9. et sexcenties in Salomonis proverbiis.

vocabulo دخل, in quo est notio *penetrandi in latibula* atque adeo *penetrandi in abditos animi recessus*, quales occultare solent perfidi simulatores. Rem si spectes, simile est monitum veteris poëtae, qui, cum hominem olim amicum expertus esset perfidum: *Ipse quidem*, ait, *nolo isti tanquam conviva adesse ejusve bibere aquam*, *cum turbida facta sit; tu vero quisquis es*, *cave amicitiam jungas cum homine sordido* (1)*!*

Vs. 49. Denuo acuta est oratio. Vere ille *vir* appellari dicitur, qui in caeteris, ut vulgo vocantur, viris fiduciam non ponat, quique adeo neminem sibi existimans similem aut secundum, recte *princeps* vocetur, sive, quae vocis واحد vis est, *unicus*. Vir autem nominatur رجل, proprie *pedibus firmiter consistens*, qualis si quis sit, huic neque opus est, ut in aliis hominibus fiduciam ponat, sive يعول *nitatur*. Est autem in his species quaedam Stoicae *αὐταρκείας*: quamquam Tograjus nemini confidi posse censebat, Stoici indecorum putabant indigere quoquam; caeterum vero utrique suis viribus niti volebant, non aliorum ope. Alibi etiam Arabes *saeculi sui principem* vocant *virum prudentissimum*, et vero id prae caeteris laudant, si quis *consilium non petat a quoquam*, *nisi a semet ipso* (2).

Vs. 50. Hic versus antecedenti est oppositus; illic laudatur constantia, hic opposita ei imbecillitas vituperatur, tanquam viro indigna. In verbis autem eadem cernitur oppositio. Uti vs. 49. in viri nomine رجل *firmitatis*, ita in ignaviae appellatione معجزة est *infirmitatis* notio, vel, si ad primam significationem progredi velis, verbum رجل est *pedibus firmiter consistere*, عجز *prae virium defectu considere* (3). Effoeminatum ergo hoc censet poëta, si quis prae ignavia falso persuadere sibi malit, bonos esse homines, quam, eorum malitiam perspiciens, securitate sua privari.

Vs. 51. غاض *Exarescit.* Uti saepius equidem, ita in priore hujus versus parte, difficillimum esse sensi, orationis Arabicae vim et acumen rite praebere sentiendum. Significat poëta, nusquam fidem esse, ubique abundare

(1) Exc. Ham. p. 584. vs. 2, 4.

(2) Exc. Ham. p. 364. vs. 3. p. 358. vs. 9. Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 57.

(3) Conf. Schultens ad Har. Cons. VI. p. 197.

re fraudes. Sed tam paucis hanc in rem utitur verbis, iisque et gravissimis et brevissimis, ut ipsam in verborum sono audire tibi videaris vocem indignantis. Verbum فاض de *aquis tumescentibus et extra ripas exundantibus* proprie adhibetur: his ergo similis perfidia dicitur *abundare.* Oppositum verbum غاض frequentissime de *aquis deficientibus* usurpatur (1), hoc autem loco de fide, quae veluti *exarescit.* Et haec quidem ipsa verba, sensu plane sibi invicem opposita, sono contra sunt simillima غاض et فاض; quae ipsa similitudo oppositionem magis reddit acutam. Latine fortasse enuncies: *Defluit fides, diffluit perfidia.* Sic ergo vir integerrimus, qui fidem sancte servandam esse semper statuerat, nunc autem vilissimis fraudibus perfide erat circumventus, vehementer indignatur, fidemque videre sibi videtur tanquam uberrimum optimumque fontem qui subito exarescat, cum fraudes contra, veluti exitiosi quidam exundantis maris fluctus, quaquaversum redundent. Quod dum cogitat, brevissima verba, ut quaedam orationis tela, in adversarios projicit.

وانفرجت *Magnumque patet*, rel. Describitur hominum in promissis servandis inconstantia. Soleo autem mirari eximiam in Arabibus facultatem res solo animo perceptas ita describendi, ut oculis paene subjiciantur (2). Ita qui rem quandam constanter sibi proponit exsequendam, dicitur *propositum inter oculos suos defigere.* (3). Contra in promissis servandis inconstantia et mutabilitas puellae comparatur *spectro*, *quod variis sese formis ostenit* (4). Pariter in nostro loco hominum inconstantia ita depingitur, ut ejus imaginem ipsis oculis adspicere tibi videaris. Sed fit illud alio prorsus modo eoque ad sentiendam poëtae indignationem aptissimo. Verba enim verbis accumulantur. Nam cum nullum esse debeat promissa inter et facta discrimen, poëta dicit utraque *hiatu quodam disscissa* esse, انفرجت, ut *intervallo disstent*, مسافة, eademque sibi invicem sint *opposita*, خلف: facta adeo promissis non modo haud convenire, sed utrorumque discrimen re-

(1) Conf. Pocock ad h. l. et Cl. Willmet, Lex. in voce.
(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 38.
(3) Exc. Ham. p. 358. vs. 8.
(4) Caab ben Zoh. vs. 8. Conf. etiam ibi vs. 9, 10.

referre potius similitudinem terrae ita discedentis, ut quae arcte juncta esse debeant, plane sint opposita amploque a se invicem disstent hiatu.

Vs. 52. وشان *Infamantque.* Verbum شان, oppositum saepe verbo زان, *nitendi*, *splendendi*, *ornandi* significationem habenti, recte usurpatur de iis hominibus, qui prae mendaci suo animo ita honesti viri sermones vel contorquendo vel irridendo *deturpant ac dedecorant*, ut omnis pereat splendor veritatis.

معوج *Curvum.* Haec veri falsique cum curvo rectoque comparatio, quae nobis apta videtur, eo pulcrior est Arabibus, quod haec ipsa verba عاج et عدل de erectis perversisque moribus quoque usurpantur (1). Quare pulcra est Ibn Doreidi comparatio, qua docet, in juvene, si a decoro deflexerit, facile rectum reddi quod sit distortum, senem vero perversum non facile corrigi, prout *ramus*, *dum tener est*, *facile inflectitur*, *difficulter vero pertractatur*, *postquam obduruit* (2). Miram autem vim habet in nostro loco subita orationis in interrogationem conversio, omninoque nil in mendacissimos perfidosque homines acerbius dici potuit, quam hoc: Non modo ipsi veraces non sunt in suis promissis dictisque, sed aliorum etiam veracitatem mendaciis offuscant; ast qui fieri aliter possit, aut quomodo curvum cum recto congruat?

Vs. 53. Proverbium Arabicum, quod respicit poëta, legerat ita Erpenius: سبق العدل السيف *praevertit justitiam ensis*, explicueratque de iis qui prae vindictae cupiditate poenam a judicibus infligendam exspectare nequeant (3). Sed Pocockius critice id ita emendavit: سبق السيف العذل *praevertit gladius reprehensionem* (4). Nam quum pater aliquis obviam fieret filii sui interfectori, hunc statim ense percussit; quam ob rem reprehensus a suis, dixit: *Antecessit reprehensionem gladius.* Quod dictum in proverbium abiit. Usurpatur autem hoc interdum de quacunque re facta, quae infecta reddi nequit, aut de negotio, cujus nulla amplius utilitas est (5). Tograjus

(1) Vid. Golius et Cl. Willmet in vocibus.
(2) Carminis vs. 149-151.
(3) Proverb. Arab. Centur. II. p. 98, 101.
(4) Vid. ad Togr. p. 215.
(5) Exemplum luculentum videas Vit. Timur. I. p. 38.

jus vero id alio modo adhibuit. Etenim, uti recte observavit interpres Arabs apud Pocockium, gladii reprehensionisque commemorationem in illo proverbio spectans, significavit, ad perfidos homines coërcendos nil valere monita, uno istos gladio posse cohiberi. Quodsi ergo in *antecedendi* verbo سبق unam spectasse censendus est notionem *usu antecedendi*, sensus hic erit: Tibi in coërcendis perfidis praestet gladio uti, quam reprehensione. Sin retinenda est notio *tempore antecedendi*, quae in illo proverbio consueta est, acerbior erit sententia et sarcasmo proxima: Tu, si velis, reprehende istos et increpa, sed antea tamen gladio eos de medio tolle! Simili acerbitate alius poëta: *Quum viderem*, inquit, *ad injurias propellendas nil prodesse patientiam*, *belli ego patiens fui et hanc adhibui patientiam*, *quae mihi propria est*, *meo adjutus gladio scindenti* (1). Lenius Ibn Doreidus ait: *Ingenuus quisque per reprehensionem corrigitur*, *servum vero nil coërcet nisi baculus* (2). Sed in hujusmodi rebus quomodo sentiant Arabes, antiquus jam expressit poëta: *In malefaciendo salus est*, *si benefaciendo saluti tuae non prospicias* (3).

Ad vs. 54-59.

Hactenus Tograjus variis cogitationibus sensibusque quassatus modo huc animo, modo illuc abripiebatur. Nec mirum. Prouti enim lances, impositis contrariis ponderibus solent modo in hanc, modo in illam partem propendere, repulsaeque non consistunt, sed in alteram partem deprimuntur; ita poëta, quoties de se suaque fortitudine graviter dixit, toties in oppositam incidit miseriae suae et inimicorum commemorationem; et quamvis eadem ipsi maneat indoles, animus tamen in utramque partem versatur et veluti fluctuat. Sed diu in diversas partes tracta mens nunc tandem ad aequabilitatem adducta consistit. Videns enim senex, non esse in senectute sperandam pristinam juventutis felicitatem, vs. 54., paucis sese contentum esse af-

(1) Exc. Ham. p. 518 sqq. vs. 7, 8.
(2) Carm. vs. 181.
(3) Exc. Ham. p. 324.

affirmat, vs. 55, et hac ipsa re sese praedicat felicem, vs. 56, cum expertus esset, nihil esse in hac terra stabile, ipsamque etiam rerum aut perscrutandarum aut gerendarum facultatem, qua antea pollebat, aerumnarum saepe fontem esse uberrimum, vs. 57-59. Atque sic senis animus affectionum quasi fluctibus diu agitatus ad serenitatem redit. Oratio vero ipsa ad totius carminis perfectionem omniumque partium consensum redigitur; namque, unde est orsa, in eodem terminatur. Cum enim initio carminis dixisset poëta, deficiente honorum munerumque ornamento sibi virtutis decus sufficere; hinc orationis flumen, ad aerumnas querelasque delapsum, fluxit deinde ulterius, ad memoriam primum pristinae felicitatis atque fortitudinis, tum ad ignaviae vituperationem et virtutis laudem. Rediit porro poëta ad praesentem infelicitatem, sed, abreptus denuo inimicorum cogitatione, diu suam calamitatem virtutemque inter et istorum felicitatem perfidiamque fluctuat. Tandem vero a quo inceperat, in eodem desinit, et: Nihil est, inquit Tograjus, honoribus rebusque humanis omnibus inconstantius, sola stabilis est animi contenti fortitudo. Quod ipsum in carminis exordio ita enunciaverat: Perpetuis quassata calamitatibus non vacillavit, sed, velut altis radicibus actis, immota stetit animi mei constantia.

Vs. 54. واردا *Qui hauris.* Interdum apud Arabes vita comparatur cum *calice, cujus primi haustus puri sint, postremi saepe exspuantur* (1). Sed in nostro loco non de calice fit sermo, verum cum sit verbo ورد significatio *aquam hauriendi, aquatum descendendi*, a vita rurali petita est imago lacus, e quo si diu multum aquae hauseris, tandem nil nisi lutum superst. Ejusmodi aquae similitudine delectantur poëtae Arabes in felicitate et miseria describenda. Nam cujus vita est egena et ignominiosa, is dicitur *ad aquam decumbere stagnantem* (2). Similiter monentur homines, *ne puriori, quam bibant, aqua sese decipi patiantur, cum saepe aliquid ei immisceatur, quo fiat turbida* (3). Contra Ibn Doreidus, quum viri quidam

(1) Vid. apud v. d. Sloot ad h. l. p. 170.
(2) Ibn Doreid. vs. 161.
(3) Exc. Ham. p. 602. vs. 7.

dam liberales beneficia sua tanquam *optimam aquae copiam in ipsum effudissent; res suas, quas turbidas reddiderat fortuna, ita jam* dixit *affluentes esse redditas, ut dulces essent puraeque* (1). Uti autem summa quaeque et coelestis adeo felicitas facile ab Arabibus potuit cum aquarum abundantia comparari (2), ita nihil iis ingratius accidere potest, quam si, aut cum grege suo vagantes, aut in deserto iter facientes, pro puro uberique fonte lacum inveniant aquis turbidis vel luto plenum. Neque vero illustris tantum est nostri loci imago, sed et aptissima. Si quis enim aut pastores videat aut peregrinatores, qui omnem aquae purae copiam in aliquo loco consumserint, propterea quod diutius ibi versati permultum sibi hauserint, sentiet ille profecto, non esse quod hi de aquarum defectu multum querantur, sentiet vero etiam, non decere senem iniquitatis magnopere incusare fortunam, quod tandem exaruerint voluptatis fontes, quos diu expertus sit uberrimos.

Vs. 55. تركبه *Quo veheris.* Pocockius interpretatus est: *Quare praecipitem te das in profundo maris, ut in eo naviges?* Atque sic quidem contrarius sit hic locus versui 32., ubi gurgitibus omnino vehendum esse jusserat poëta. Ego Golium sequor. Videtur enim in nostro loco imago haberi hominis, qui, dum in mari navigat, ad sitim restinguendam ardentem in ejus fluctus se praecipitet demens. Patet hoc ex posteriore versus parte, in qua de sorbenda aqua agitur; patet item ex versu antecedenti, in quo similis est imago aquae hauriendae ut bibas. Similiter *paululum aquae* dicitur de eo, quod ad vitam sustentandam vix sufficiat, oppositum bonorum abundantiae, quae cum *mari* et *oceano* comparatur, *unde quis hauriat quo sitis restinguatur* (3). Quique in bonorum affluentia vixerunt, dicunt *redundasse in se mare bonorum pleno fluxu* (4). Cum ergo poëta vs. 32. periculosam, sed gloria plenam, vitam cum itinere maritimo comparasset; nunc, ut significet, non nimias esse voluptates expetendas et parvo bene vivi: Quodsi, inquit, in mari naviges, probe scito, ad sitim restinguendam pa-

(1) Carminis vs. 96, 97.
(2) Conf. comment. nostra P. I. C. II. p. 48.
(3) Ibn Dor. vs. 17, 154
(4) Monum. vetust. Arab. p. 67. vs. 2.

parum aquae sufficere, neque opus esse, ut in imum te mare conjicias praecipitem. Quo ipso egregie significat, non tantum paucis bonis bene vivi, sed et multis saepe male. Nam uti non raro dicitur in *profunda loca praecipitari*, qui in mala quaeque et perniciem ruit (1); ita recte Tograjus hominem, qui se fortunae bonis voluptatibusque totum immergit, similem vocat ei, qui prae siti insatiabili in mare se conjiciat, unde vix possit emergere. Simile quodammodo, sed minus acutum, est alius poëtae dictum: *Paucis contentus esto, nam paululum aquae purum est, fluctus vero spumans maris non est immunis a turbulentia* (2).

Vs. 56. ملك *Regno.* Plurimae sunt apud Arabes hominis fortuna sua contenti laudes. Sic dicitur *mundum possidere, non qui multa, sed qui satis habet* (3), et *moderatio* vocatur *arbor, quae, si radices egerit in animo contento, fructus ferat quietis* (4). Saepissime autem *contentum suis rebus esse, maximae* dicuntur *certissimaeque divitiae* (5). Pariter ergo explicari possit hic nostri poëtae locus de opibus divitiisque; nam vox ملك non modo *regnum* significat, sed etiam aliam quamcunque *possessionem*. Et pulcre quidem senex opibus omnibus privatus dixerit: Animum si possideas contentum, non est quod his metuas divitiis. Paullo tamen illustrior videtur imago ducta esse a *regno*, maxime propter adjunctam *adjutorum* et *custodum* commemorationem, quibus *in eo non opus sit*. Et vero, qui immensa suo tempore regna et imperiorum difficultates, pericula, ruinas perspexerat Tograjus; qui viderat nullo modo sibi sufficere Principes, sed a magna saepe adjutorum ministrorumque caterva pendere totos; qui denique misere ipse erat expertus, quam cito regnum quoddam in perniciem ruere posset, cum hoc ipso tempore, victo in pugna Sultano suo, peregre oberraret: is profecto exquisite graviterque monet, melius certiusque esse, si animi contenti regnum possideas, quam si ulla alia regna; namque in illo si-

(1) Vid. Ibn Dor. vs. 27, 28. ibique Scheidius.
(2) Vid. apud v. d. Sloot ad vs. 56. p. 171.
(3) Vid. Sententiae subjectae Gram. Arab. Erpen. Sent. 80.
(4) Ibid. Sent. 76.
(5) Haec Ciceronis in Parad. VI. verba sensum exprimunt Sententiarum Arabicarum 31, 40, 72, 75, ibid.

sibi quemque sufficere solum, neque adjutoribus ad id conservandum opus esse, neque custodibus ullis. Quae sententia est Horatii nomine digna, qui saepius imaginibus ab imperio Romano petitis eandem virtutem celebravit.

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Poenus
Serviat uni (1).

Caeterum post Tograji versum 56. in uno codice reperitur versus, quem Slootius in proleg. p. 16. spurium censet. Sic autem legitur:

اقنع تجل ولا تطمع تذل ولا
تعجل تزلّ ولا تغترّ بالامل *

Demisse esto contentus, sic eminebis; teque voluptatibus ne immerge, sic [*fieres abjectus;*
Neve festina, sic caespitares; neve vana spe te decipi sine!

Non deest huic versui pulcritudo, qualis in sententiis esse solet. Verbum قنع, quo *animus sua sorte contentus* designatur, proprie significat *se inclinare*, quare verti possit: *qui se inclinat, prae caeteris extolletur.* Simile videtur acumen esse in verbo طمع, quod, cum *avide cupientem* significet, propriam habet notionem aliquid *altius immergendi* et *demergendi*, coll. verbo طبع, ut adeo quodammodo conjuncta sit *humilitatis* et *deorsum tendendi* notio, quae in verbo ذل usitata est. Certe pulcra est imago viae lubricae, in qua si festines, facile prae *lubrico motu labaris*, زل. Sed hic versus genuinus non est. Primum enim deest reliquorum codicum omnium auctoritas, et codex ille, in quo reperitur, est profectus a librario, qui aut vitioso usus est exemplo, aut parum diligens fuit neque a perverso corrigendi et interpretandi studio immunis, uti ex annotatione critica versibus nostri carminis subjecta facile pateat. Deinde vero etiam, quod in hoc versu de animo contento dicitur, id, eodem adhibito vocabulo, sed addita imagine longe pulcrius efficta, dixit Tograjus vs. 56. Quam stultum sit voluptatibus sese immergere, docuit idem vs. 55., similitudine multo uberius exposita. De falsa spe pulcerrimum mox habebimus locum vs. 57. Quae vero so-

(1) Carm. L. II. O. 2. vs. 9 sqq.

sola accedit festinationis commemoratio, parum convenit Tograji conditioni aut orationi contextae, et quae ei addita est imago loci lubrici, in quo labaris, apud illum habetur vs. 58., eadem voce adhibita. Denique desidero stylum nostri poëtae, qui non ita solet multas imagines plane diversas et sententias complures in uno versu accumulare: uti vel ex eo ipso patet, quod, quae hoc uno versu dicuntur, a Tograjo versibus quatuor sunt explicata. Itaque hic versus spurius est.

Vs. 57. بدار *Habitaculo.* Saepius terra, quae hominum domicilium est, cum habitaculo comparatur. Pulcre autem rerum humanarum inconstantia domui assimilatur, cujus fundamenta vacillant, aut quae ipsa stabilis non est. Ita in Jobi poëmate improbi dicuntur similes iis, qui *securi sunt in domo caduca, eique innituntur dum ruinam minatur*, imo vero qui *fiduciam ponunt in domo araneae.* Atque in sublimi sermone personae cujusdam coelestis dicuntur homines esse *isti, qui domos luteas incolunt, et in pulvere tanquam fundamento aedificant;* additur autem, *conteri eos instar tineae, et unius diei spatio jacere conculcatos* (1). In quo utroque loco patet, non suffecisse poëtae domus caducae similitudinem, sed aliam eum quaesivisse formam, qua posset, tanquam expressa imagine, effingere, quam in animo habebat summae inconstantiae speciem. Pariter Tograjus aliam addit similitudinem, eamque exquisitam.

فهل *Quid enim?* Cum in toto hoc versu, tum in hac inexspectata interrogatione oratio est pressa, incitata, acris, imaginem referens animi acriter sentientis et cogitationum multitudine concitati. Frequenter vita humana *umbrae* comparatur, *quae et subito oritur et evanescit subito, neque ullum sui relinquit vestigium* (2); nihilque ad inanem et semper fluctuantem rerum humanarum rationem significandam aptius effingi potest. Verba autem in nostro loco exquisita sunt; namque ظل *umbram tremulam* significat, eaque vocatur منتقل *huc illuc migrans*, nunquam in eodem loco subsistens. Omninoque nil gravius dici potest hac adhortatione: Tune stabili aedi similem putas conditionem humanam? Imo umbrae similior est inani errantique; hanc si unquam videris eodem loco consistentem, tum demum affirma-

(1) Job. VIII. 14, 15 et IV. 19, 20.

(2) Conf. Epist. Jacob. IV. 14. et comment. nostra P. I. C. II. p. 55.

mare liceat, stabiles esse res humanas. Ast nulla in his terris constantia est. Quid enim? Constantemne unquam vidisti umbram inanem?

Vs. 58. In hoc et subsequenti versu cernitur manifesto Tograji persona. Erat hic litteris artibusque excultus et ad rerum politicarum munerumque gerendorum scientiam institutus inde a juventute. Haec vero quantam excitarent invidiam, quantaque omnino afferrent pericula, sua ipse experientia didicerat, idemque id egregie his versibus alios homines omnes docet. Et hoc quidem versu exquisitis vocibus describitur vir rerum peritissimus. Nam verbum طالع, collato verbo vicino طلع et Hebraico חלע, *perspiciendi cognoscendique* notionem habet a propria significatione *alte eminendi*, *prouti sol eminens late circum se omnia circumspicit*; atque ita perspicere vir doctus dicitur اسرار *res intimas* quasque et maxime *celatas abditasque*. Alibi autem prudentiae monitum hoc datur: *Locum explora*, *antequam pedem figas; nam lubricum locum qui conscendit*, *labitur de improviso* (1). In nostro loco brevis est oratio et culta; nam cum vir eruditus in lubrico loco versari dicatur, recte silentium ipsum tanquam perfugium fingitur, in quo possit tuto consistere. Est vero etiam acerba ironia. Nam cum videantur peritissimum quemque lubentissime audituri esse homines, eique tuta omnia et grata praestituri, poëta contra, suo exemplo ipse monitus, docet, non esse rerum scientia inter homines periculosius quicquam, atque id peritissimo cuique agendum esse, ut, si multa noverit, nil certe eloquatur, sed coram hominibus semper sileat.

Vs. 59. Est hic ultimus versus omnino pulcerrimus. Nam primum, uti jam diximus, a qua inceperat carmen adversa principis viri fortuna commemoranda, in eadem desinit aptissimamque habet conclusionem. Deinde ut saepius dictionis acumen observavimus et sententiarum gravitatem, ita est hoc loco acutissima oratio et proverbii cujusdam vim habens. Denique imago adhibetur longe suavissima.

Nulla enim in tota antiquitate invenitur imago hac ipsa rei pastoritiae imagine celebrior. Apud Ibn Doreidum totus aliquis locus est, in quo omnes similitudines a grege pastoribusque petitae sunt, et in quo prae-

cae-

(1) Exc. Ham. p. 602. vs. 6.

caeteris pulcri sunt illi versus, quibus homines, in periculis timide ad Deum confugientes, sed evanescente periculo statim Deum negligentes consuetaeque sese securitati tradentes, comparantur *pastoribus*, *qui audito strepitu terrentur et metuunt gregi*, *sed illo vixdum evanescente iterum suo ludo delectati gregem negligunt* (1). Pariter qui secure et missis curis omnibus vivunt, dicuntur *pasci in pratis vitae commodae et in hortulis quietis* (2). Quid? quod et poëtae Orientales permultis ac varia ratione exornatis imaginibus dicunt a regibus populos tanquam *greges a pastoribus pasci*, et Homerus exercituum custodes *canibus* comparat, regesque vocat ποιμένας λαῶν, et hunc imitatus Plato in libris de Republ. ad canum naturam observandam identidem recurrit, ut suos informet civitatum custodes, et reipublicae principes ad pastorum similitudinem instituit (3). Sed magis etiam illustre suis scriptis reddiderunt antiqui pastorum nomen. Namque de excellentissimo rege Messia vaticinantes Hebraeorum poëtae eum celebrarunt ut *pastorem*, *justum gregis vindicem et ducem amantissimum* (4), *cui duo sint*, *quibus oves regat*, *bacula*, *quorum alteri inscriptum sit amoris nomen*, *alteri communionis* (5). Quorum exemplum secutus ipse Christus suam erga homines caritatem significavit, dicens, se *bonum illum esse pastorem*, *qui pro ovibus mortem adeo oppetat* (6). Imo ipse Deus a Davide vocatur *Pastor*, *qui ipsum in prata amoena ducat et ad suavissimas aquas*, *et vero in vallium tenebris tutum semper praestet* (7). Quid dicam de illius *Pastoris* imagine, *qui gregem omnem linquit*, *ut unam indaget ovem deperditam*, *inventamque humeris tollens ad suos redit*, *laeteque exclamat: Mecum laetemini*, *ovem enim reperi deperditam* (8)!

Ab hac ergo re pastoritia Tograjus quoque pulcras desumsit imagines. Ut hominem a teneris ad munera quaeque obeunda informatum significet, utitur ver-

(1) Carminis vs. 172-179.
(2) Exc. Ham. p. 330. vs. 7.
(3) Praesertim L. II. p. 375, 376. L. III. p. 415, 416. L. IV. p. 440.
(4) Jerem. XXIII. 1 sqq. Ezech. XXXIV. 2 sqq.
(5) Zachar. XI. 7 sqq.
(6) Joh. X. 14 sqq.
(7) Ps. XXIII.
(8) Luc. XV. 4-6.

verbo رشّح, quod praesertim de animalibus usurpatur, quae, *paululum lactis pullis praebentia, eos educant* (1); illumque adeo, imagine a sugenti pecore sumta, dicit artes doctrinasque velut *cum lacte materno suxisse.* Uti autem homines, qui aut duces bonos non habent, aut a principibus regibusque suis vel a pravis doctoribus derelinquuntur periculisque omnibus sunt expositi, comparantur saepe *gregi sine pastore oberranti* (2); ita aptissime ejusmodi pecori huc illuc vaganti sese comparavit senex, qui non modo Sultano suo adjutoribusque omnibus erat destitutus, sed et peregre exsul oberrabat. Similiter suas exsulis peregrinationes descripsit Davides (3); sed hic, qui pastor olim ovium ipse fuerat, *ovi deperditae*, Tograjus *camelo oberranti* sese assimilat, quippe qui eo ipso tempore in mediis versaretur camelis.

Idem vero etiam Tograjus non modo sese camelo assimilat, sed ea in hoc versu utitur oratione, in qua sententiae cujusdam gravitas sonat, et sentitur proverbii acumen; quod minime negligendum est in hac carminis conclusione. Nam cum in hoc ultimo versu poëta eam ipsam, de qua jamdiu cecinerat, conditionem suam describere vellet, suoque exemplo alios docere; non potuit sane hanc veluti totius carminis summam edere efficacius, quam proverbio usus, cujus acumen in audientium animis alte diuque inhaereret. Quocirca, cum inde ab initio significasset, quantae saepe calamitates fortunam honoratiorem sequerentur, in hoc fine carminis: *Si quis*, inquit, *magna negotia gerere velit*, *caveat ille*, *ne cum camelis pastum eat*, *qui misere sine pastore vagantur!* Quod quam prudenter dictum sit, cum ex hujus ipsius carminis argumento patet, tum ex reliqua poëtae fortuna. Hic enim, uti supra diximus, postquam aliquamdiu peregre fuisset vagatus, in inimicorum, tanquam ferarum quarundam, fauces incidit, eorumque ferocia dilaniatus, misere periit.



(1) Vid. Schultens. ad Exc. Ham. p. 358.

(2) Praeter loca laudata vid. Numer. XXVII. 17. 1 Reg. XXII. 17. Matth. IX. 36. Marc. VI. 34.

(3) Ps. CXIX. 176.

THESES.

I.

Hominibus litteratis magnopere commendandae videntur litterae Orientales, quippe ad historiam cum gentium, tum artium doctrinarumque, tum ingenii ipsius humani fructuosissimae, meritoque ad litteras humaniores referendae.

II.

Ad rite interpretanda carmina Orientalia multum prodest, si poëtarum historiam cognoverimus. Ipsa vero etiam carmina historiam poëtarum saepe locupletant.

III.

Ad poëseos Orientalis pulcritudinem percipiendam plurimum confert, proprias verborum significationes attendere. Vicissim, ad proprias verborum significationes indagandas aptissima est carminum ipsorum lectio.

IV.

Si aequam de poësi Arabica sententiam ferre velimus, opus est, ut antiquiorem et recentiorem poësin distinguamus. In illa minor cultus, major naturae vis est; in hac contra ars operosior judiciumque saepe limatius.

V.

Poësin Arabicam cum Hebraica comparantibus, luculenter nobis apparet, quantam vim ad Hebraeorum ingenium excolendum habuerit religio.

VI.

In moribus ingeniisque humanis describendis Hebraeos poëtas superant Graeci, in rerum natura vero depingenda ab iis superantur. Graeci praeterea venustate et hilaritate magis alliciunt, Hebraei sublimitate et majestate in admirationem rapiunt.

VII.

Non recte dicitur prosa oratione apud Hebraeos antiquior fuisse poësis: quamquam, quo antiquior est eorum prosa oratio, eo magis est figurata.

VIII.

Eloquentiae, qualis inter Arabes exstitit, praeclarum exemplar haberi potest Coranus Verum longe etiam magis eximia eloquentiae Orientalis monumenta exstant in V. ac N. F. scriptis.

IX.

Inter recentiores historiarum scriptores Judaeos, qui antiquam eamque nativa pulcritudine insignem narrandi rationem Hebraicam secuti sunt, eminet Johannes Apostolus.

X.

Apud Hebraeos praeceptorum moralium legumque politicarum praestantia maximam partem a Religionis puritate est profecta.

XI.

Ut Socrates, Plato aliique philosophi Graeci ad puriores de Divina Natura notiones pervenirent, factum imprimis excelsiore naturae humanae moralis existimatione.

XII.


Recte judicasse videtur de Bréquigny: Le fanatisme fut le caractère propre de Mahomet. Il eut de l'ambition sans doute: elle germe aisément sur le fonds du fanatisme, parce que ces deux puissantes affections exigent à peu près la même trempe d'ame. Mais quelque violente qu'elle soit devenue dans Mahomet, elle n'y fut jamais qu'une passion accessoire, produite par les circonstances, et qui sembla même long-temps avoir peine à se développer. Mém. de Litt. de l'Acad. royal. des Inscr. et Bel. Lett. T. XXXII. p. 430.

XIII.

Mohammedes, tum unius Dei cultum vitaeque post mortem futurae persuasionem propagare, tum legibus multis humanioribus praeceptisque religionis multis egregiis vitam et publicam et privatam moderari studens, bene de aequalibus meruisse censendus est.

XIV.

Legislatio Mosaica ad gentis Hebraicae indolem plane erat accommodata. Islamismus Orientalium universe hominum ingenio est conveniens. Una religio Christiana solam spectat in hominibus omnibus ipsam humanitatem. Quare haec etiam una et a gentibus longe diversissimis fuit suscepta, et ad genus totum humanum perficiendum est idonea.




LIBRARY OF CONGRESS
0 019 330 789 9